

Co. 24.

DE EPISTOLIS
LATINE CON-
SCRIBEN-
DIS,

86
3525

LIBRI IIII.

Collecti, digesti, ac in lucem editi, opera

Simonis Verrepsi.

Quid singuli libri complectantur.

- I. Continet de Epistolis conscribendis velut Isagogi-
con dulci breuitate non iniucundum.
- II. Agit de Epistolari elocutione, & Latinae orationis
ornati.
- III. Continet Epistolam rectè exordiendi formulas, ex
doctorum epistolis selectas.
- IIII. Complectitur Latinae linguae phrasas Epistolis
scribendis crebrò futuras vsui.



Anno M. D. LXXIX.

SIMON VERREPAEVS GENE-
rosæ indolis & eximiæ spei adolescentulis
scholæ fratris sui Discipulis & eiusdem
alumnis. S. D. P.

INTER reliqua Scholasticarum Exercitationum ge-
nera, primum non immeritò locum obtinet Latina Epi-
stolarum compositio, qua purè & emendatè scribendè
loquendiq; expedita facultas comparatur, & puerorum
studia omnium maximè excoluntur, et promouentur. Quod
equidem ne pluribus hoc loco confirmem, vel ipsa rerum
magistra experientia luculenter satis contestatur: speroq;
ea propter apud candidos ac æquos censores nequaquam
mihi vertendum vitio, si post tam multos cum veteres tūn
recentes istius argumenti scriptores lucubratiunculam hanc
nostram in primæ ac rudioris adhuc ætatis vsum in lucem
proferri sinam: quam dum lectione & vfu multo tyrones
satis triuerint, licebit tum demum illos quoq; degustare,
qui dicendi præcepta ad scribendi rationem accommodare
studuerunt Georg. Macropedium, & Lippum, inprimis
Brandolinum in hoc argumento mirificum & excellentem.

Hunc autem laborem vobis, Adolescentes lectissimi,
consecratum volui, vt hoc publico meæ erga vos volunta-
tis testimonio, vobis certò constaret, absentem me iam, ac
nescio quo casu seu fato potius ad hanc provinciam à vo-
bis abductum, vestri memoriam non posse adhuc deponere:
sed fauere etiamnum & dare opera in studijs vestris promo-
uendis, non minus ex animo ac studiosè, quam cum in ijs-
dem ædibus mensa, ludo vnà vobiscum agerem: Vos sata-
gite, Adolescentes carissimi, vt hos libellos lectione mul-
ta, & quotidiano scribendi vfu, reddatis vobis familiares:
& nos vestri amantissimos precib. subinde Deo commen-
date. Valete feliciter. Mechliniæ in monte Tlaborino.
Anno humanæ salutis, 1571. Mense Nouembri:

LIBER I.

QVO CONTINETVR DE
*Epistolis rectè conscribendis facile
quoddam velut Isagogicon.*

DISCIPVLVS ET PRAECEPTOR.

D. **S**TVDEO MI COLENDE
Præceptor, audire ex te breuiter, quæ
sit aptissima Epistolas Latinè con-
scribendi ratio: si modo tibi est o-
tium, & tempus his rebus commo-
dum.

P. Tempus tu quidem captasti commodissi-
mum, Deinde tuum istud tam liberale & hone-
stum desiderium, vel maximis occupationibus
meis anteferrem libenter. Quapropter vt ingeni-
um tuum melius cognoscam: & tu studium me-
um perspicias facilius, me singulis de rebus sim-
pliciter interroga.

Primum igitur quid est Epistola?

EPISTOLA est absentis cum absente col-
loquium, aut mutui sermonis velut quidam in-
ternuncijs.

Nam is verus ac proprius est vsus Epistolæ, vt
absenti per eam significemus, quæ ipsum scire vo-
lumus: Dicitur enim à Græco verbo ἐπιπέλλω,
hoc est mitto, quod ea ferè ad absentes mittatur:

*Peruelim audire nunc, quis artis istius
texendarum Epistolarum vsus sit.*

Rectè tu quidem istuc principio inquiris.
Nam libentius, alacrius, & cum quadam volu-

A 2 ptate

scribitur ætas, natura, mores, conditio, & officium, diligenti animi intentione, perpendi debent & obseruari, vt his bene pensiculatis Epistola tota accommodetur.

Sed hæc de Inuentione Epistolari satis, vt quam nobis ferè suggerant quotidiana vitæ negotia, necessitates, & oblata scribendi occasiones.

ALTERA vero iam cura est, vt res inuentæ apto & congruenti ordine, quasi milites in acie disponantur, considerando nimirum, quid initio, quid in medio, quid in fine congruentius collocetur. Et huc referuntur illæ partes Epistolæ, tum Speciales, tum Generales, de quibus paulò inferius agemus.

POSTREMO verò loco accedit Elocutio, qua res inuentas & suo quasq; loco concinnè dispositas, Latine, planè, & ornatè efferimus. Quæ partim in singulis verbis spectatur, partim in coniunctis seu sententijs, non secus quàm fit in ædificijs, in quibus nunc singulæ partes separatim probantur, nunc verò coniunguntur in vnum

Quibus igitur in Epistola vtendum est verbis?

Latinis, proprijs, vsitatis, & quorum compositio æquabilis sit, gratiosa ac facilis, nec ab vsu loquendi remota, fugienda verò sunt, verba dura, ambigua, obscura, absoleta & nimium affectata.

Quales esse debent Sententiæ?

Elegantes, apertæ, faciles, quæquè sermone constant quotidiano, vt sensus ad manum parati sint: Ad hæc non omninò triuiales; sed venustæ



DE EPIST. SCRIB.

stæ & propriæ, vel eleganti Tropo aut Schemate variegatæ.

Tales enim Epistolæ esse debent, quales sunt mutua amicorum inter se confabulationes, simplices & familiares, festivæ, dilucidæ, minime confucatae aut nimis excultæ: quæ suam tamen elegantiam non omninò negligant.

Præclarè enim hoc Seneca: Qualis, inquit, sermo meus esset, si vnà sederemus aut ambularem, illaboratus & facilis: tales volo esse Epistolæ meas. Sed de Elocutione plura Lib. II. vbi partes Epistolæ iam omnes absoluerimus:

Cedo igitur quæ sunt partes Epistolæ?

Partes Epistolæ sunt duplices,	{	Speciales	{	Exordium,
				Narratio,
				Petitio,
				Conclusio.
	{	Generales	{	Salutatio,
Valedictio,				
Superscriptio.				

Explica partes Speciales?

EXORDIUM est initium Epistolæ, quo eius cui scribitur præparatur animus ad amicè, attentè, & intelligenter, ea quæ scribuntur aduertendum: quod quibus modis aptissimè fiat, ne breuitati studentes diutiùs his immoremur, à Rhetoribus exquiratur, è quibus Epistola plurima mutuatur.

Commendatur Exordium, quod subiectæ seruit materiæ & causæ præsentis, vt ex ea velut natum videatur: Ad hæc quod nec longius nec breuius est, quàm res ipsa & materia postulat.

Postre

Postremo, quod non est nimis apparatus, sed verecundum, temperatum ac modestum, ne quid suspicionis lectori afferat.

NARRATIO est, qua breuiter, dilucide, & probabiliter explicamus, quæ nos causa ad scribendum impulerit.

Hæc debet esse breuis, propter memoriam, quæ facile labitur, & Dilucida, proprijs scilicet & vsitatis verbis explicata, propter intelligentiam, & Probabilis, siue verisimilis, vt lectori fidem faciat.

PETITIO est, verecunda alicuius officij, beneficij, veniæ aut rei alterius imploratio.

Commendatur autem honestate, facultate, & remuneratione. Ad Honestatem spectat, vt ab amico rem nullam petamus, nisi honestam ac iustam. Ad Facultatem, vt ea petamus, quæ facile ab ipso præstari queant.

Ad Remunerationem verò, vt nos memores beneficij & gratos futuros polliceamur.

CONCLUSIO est Epistolæ terminus, quo lectoris animum ad id quod petimus, nitentur quam maximè commouere.

Hæc constat Argumentorum repetitione, quæ res dispersæ reminiscendi causa in vnum locum reuocantur, & sub adspæctum subiiciuntur.

Cur hæ partes vocantur Speciales?

Quod non sint in omni Epistola necessaria: Sed earum interdum vna aut altera, interdum plures adhibeantur. Nam cum ad familiares scribimus, frequenter sine vlllo Exordio ab ipsa re initium capimus. Et sola Narratione, Admonitione, Accusatione, vel purgatione & Conclusionem



DE EPIST. DESCRIB.

ne (quæ nunquam abesse potest) Epistola tota absoluta. Plenior ob hæc specialium partium descriptionem heic omisi petendam quoq; ex officinis Rethorum.

Quæ dicuntur partes Generales?

Hæ scilicet, quæ omnibus ex æquo Epistolis adhibentur, Salutatio, Valedictio & Superscriptio, ut vocabulis utamur vulgò tritis.

DE SALVTATIONE.

Quid est Salutatio:

SALVTATIO est oratio, qua in principio Epistolæ, absenti salutem nunciamus: Id quod varijs consuetum est fieri modis.

Quæ sunt igitur aptissimæ salutandi formulæ?

Veteres illi linguæ Latinæ coryphæi, qui felici illo Ciceronis seculo floruerunt, huiuscemodi fermè uti consueuerunt.

Cicero { Pisoni S.
Dolobellæ S. D.

Vel adiuncto Prænomine.

M. T. Cicero { T. Pomponio Attico S. D. P.
M. Terentio Varroni. S. P. D.

Apponitur interdum Pronomen, Suus,

Cicero { Tironi suo
Terentiæ suæ } S. D.
Tulliæ suæ }

Cicero, Terentiæ & Tullioke suis. S.

Sed

ISAGOGICON LIB. I.

Sed veteres vxores tantum, filios, seruos aut libertos, vocare suos assueuerunt. At nos more Pliniano, ita quoslibet ferè appellamus, amicitia aut familiaritate nobis coniunctiores : alios verò minimè.

Licètne nomini eius cui scribimus adiungere aliquot Adiectiuum?

Inuenias quidem adiunctum nonnunquam, apud ipsum etiam Ciceronem, sed rarissimè, vt : Cicero F. S. D. Tironi suo dulcissimo.

Tullius & Cicero F. S. D. Tironi humanissimo & optimo.

Horum exemplo recentiores ex nimia quadam erga amicum beneuolentia, huiusmodi interdum Salutatione uti solent.

Nic. Clenardus Iac. Latomø.	}	Amico singulari amico integerrimo amico verè Pyladeo dimidio animi sui Quod de amico Aristoteles dixit, Alteri ipsi.	}	S. D. P.
--------------------------------	---	---	---	----------

Quid? Adijcieturne Salutationi Magistratus, muneris aut Professionis titulus?

Maximè : Titulus enim dignitatis persona illius cui scribimus in salutatione nequaquam omitti debet, vt :

Cicero { C. Cæsari Imperatori S. D.
D. Bruto Cos. Des. S. D.

Et apud Recentiores :

Ioachimus Perionius Carolo Lotharingo Cardinali, S. D.



D E E P I S T. S C R I B.

Paulus Manutius Andreae Alciato Iurisconsulto,
S. D. Quin nec nostræ dignitatis vel officij titulus
est prætermittendus, cum vel ad pares vel ad mi-
nores scribimus.

Cicero } Procos. S. D. M. Marcello Cos.
 } Imp. S. D. Cælio AEdili Cur.

Philippus Hispaniarum Rex &c. Ferdinando à
Tollero Duci Albano, S. D.

Antonius Houæus Abbas Viglio Zuichemo, auro
tæ militiæ Cancellario S. D.

Quid in Salutatione vitiosum est?

Docti illos reprehendunt, qui cum scribunt
ad Optimates nomen eorum suo, causa honoris
præponunt, veluti si dicas. Ant. Perrenoto Cardi-
nali, Guil. Lindanus Ruremundensis Episcopus
S. Guilielmo Cliuensium Duci, Godefridus
Gropperus. S. D. Quasi in hac nominum præ-
positione, dignitas, quæ nulla est, inesse aliqua
videatur. Sed nos hæc potius scribentium arbi-
trio relinquenda existimamus, ne, si consuetudini
multorum aduersemur, vel imprudentes habea-
mur vel superbi. Et hæc de veterum salutandi
modo.

*Nunc igitur edoce, quæ sit Recentiorum
Salutandi ratio?*

Est ea quidem multiformis, nec vni eidemque
scribendi formæ ac modo semper adstricta.

I. NONNULLI enim ea precantur alteri,
quæ vel congruunt Epistolæ argumento, vel per-
sonæ cui scribuntur litteræ.

Bernar-

Bernardus Verrepæo suo præcatur } Bonam mentem,
 } ardentem pietatem,
 } plurimam faustitatem,
 } multam & perennem felicitatem.
 } pacem et perpetuam incolumitatem.

II. Sunt qui utantur allusione aliqua veteris memoriæ de historijs aut fabulis petita.

Verrepæus Iac. } Ionatæ suo }
 } Achatæ suo }
 Schildero. } Theseo suo } S. D.
 } Pyladi suo }

III. Adhibentur interdum allusiones quædam hyperbolicæ, quibus præstantem alicuius scientiam, virtutem, aut certè rei alicuius excellentiam indicamus. Cuiusmodi sunt: Io, Rubus M: Io. Beuero, alteri fermè Aristoteli. S. D. Longolius, Guil. Budæo. Varroni huius ætatis. S. D. Hofius Sadoletto M. Catoni integritate propè pari. S. D. Sadoletus Bembo polyhistori non multum M. Tullio facundia minoris, S. D.

Hæc cum adhibentur, tanquam quædam testimonia, autoritatis non parum illis quibus scribuntur afferunt, si modò ad dignos scribantur, & ab ijs qui creduntur de præclaris huiusmodi dotibus posse rectè iudicare.

Sed cauendum, ne hæc honoris signa, ambitione vel peruersitate ingeniorum ad indignos transferantur, & fidem prorsus amittant: nèue potius insolentiæ aut indecoræ adulationi, quàm vero iudicio tribuantur.

III. Sunt postremò & nouæ aliquot salutandæ formæ,



DE EPIST. SRI B.

formæ, quibus nunc vulgus plerunque vtitur, nec prorsus damnandæ, modò in loco adhibeantur:

Salve mi N.

Salve multùm.

Salve plurimùm.

Salve Pater optime.

Salve terquè quaterq;.

Salve etiam atq; etiam.

Salve quantum mereris.

Salve amice integerrime.

Salve congerro lepidissime.

Salve plurimùm in Christo Iesu.

Salve plurimùm obseruande patruæ.

S. P. amicorum optime & integerrime.

Salve vnicum meum in Christo decus & præsidium.

Veterum tamen simplicitas nostra hac nouitate nequaquam potest corrigi: sed de salutatione nunc satis.

DE EPISTOLARVM EXORDIIS.

Hoc igitur nunc doceas velim, sit ne certus aliquis exordiendi Epistolam modus aut formula?

Ratio Epistolam his vel illis verbis exordiendi certo aliquo canone tradi non potest, vt quæ pro varietate argumenti, varium, multiplex, ac liberum habet principium quale cuiq; visum est.

Sed cum nusquam magis laborent pueri, quam in apta exordiendi forma, statim inuenienda, Et, vt quidam ait, dimidium facti qui bene cepit habet: subiiciendas heic duxi tum veterum,

rum,

rum, tùm recentium Auctorum idoneas aliquot exordiendi formulas, è quibus videre ipsis licebit, quemadmodum possit incipi Epistola, donec adoleuerint, magisque ac longius in litteris progressi fuerint.

Illud tamen hic admonendum, non esse consuetum studiosis adolescentibus, vt epistolam scripturi: illicò ad libros, vnde voculas aut sententias aliquot mutuentur, confugiant, semperque alienis inuentis assuescant, proprio ingenio diffrigi.

Sed prius diligenter consideranda sunt, quæ paulò superius de Inuentione, Dispositione, & Elocutione admonuimus: atque ex his omnibus diligenter pensulatis, epistolæ tanquam viuum exemplar ducent. Et tum demum licebit locos aliquot ex auctorib. petere, vnde tùm verborum, tùm sententiarum supellectilem aliquam possint mutuari.

Adhibenda tamen hic est studiosa quædam diligentia, vt sic omnia ad præsentem materiam accommodentur, ne malè assuta, malèque conferruminata, ac proinde furtiua, nec domi nostræ nata deprehendantur, & scriptoris sui imperitiam prodant.

Sed nunc expecto exordiendi formulas.

Fuit olim mos veterum, quem Seneca vsque ad suam ætatem seruatum scribit, epistolas hoc modo exordiri.

Si vales, valeo.

Si vales, bene est, valeo.

Si vales, bene est, ego quidem valeo.

Si vales, bene est, ego valeo, & quidem bellissimè.

Si va

DE EPIST. SRIB.

Si vales, bene est, ego perbellè valeo, & indies bellius.

Si vales, bene est, ego quidem valeo sicut soleo, paulò etiam deterius.

Si vales, gaudeo, equidem valeo, & Cicero ac Tulliola bellissimè valent.

Has veterum formas Christiani non ineptè interdum hoc modo sunt imitati.

Si vales, bene est, ego per Dei gratiam sic valeo ac viuo, vt nunquam in vita suauius.

Si rectè vales carissime pater, vna cum suauissima matre, bene est. Nos hic Dei gratia perbellè valemus.

Si rectè vales, vnice mihi dilecte pariter ac obseruande auuncule, est quod plurimum gaudeam: Equidem hic beneficio Dei valeo rectissimè.

Si tu, tuaq; suauissima coniux, focer humanissimus, reliquaq; familia valetis, est cur maxime gaudeamus. Nos hic Dei munere valemus ex sententia.

OBSERVETVR hæc loquendi varietas, Dei gratia, Dei dono, Dei munere, Dei beneficio, Dei benignitate: Vel, Quæ Dei benignitas est:

*Quid? nunquam ne aliter exordiri
licet Epistolam?*

Sic sanè, est enim Epistolarum principium varium ac prorsus liberum, vt modò suprà dixi: & ex formulis quas libro tertio proferemus, luce, quod aiunt, clariùs, videre licebit, quas tu & frequenter & sedulò peruoluas suaserim, si Epistolam scripturus, elegans & accommodatum eius principium in promptu semper habere voles.

Licet-

Licetne interdum exordiri Epistolam
ex abrupto?

Licet etiam cum venustate frequenter & gratia.
Eho tu, quid ais obsecro.
Nunc te obiurgari patere.
Sic est inquam, vti scribis.
O casum mirificum, hodie.
Quin tu igitur huc reuolas?
Ne tu, mi N. es homo lepidus.
Quia ego igitur tibi gratuler.
Vin ridere? en tibi argumentum.
Quid ego audio, mi N. tunc adeptus es?
O rem iocosam & risu dignam Catoniano.
Siccine igitur veterem amiculum negligis?
O diem laetum, notandumque mihi candidissimo
calculo.
Vide, num aptum munus miseris, crumenam non
habenti pecuniam.
Quid? hoccinè abeunti tibi demandaram, vt ad
me nihil perscriberes aliud, quam &c.
O factum bene de nostro Ghilfio. Incredibile est,
quantum me ea res voluptate affecerit.
*De exordijs, vt opinor, satis: Perge ad ea
quae sunt reliqua?*

De Narratione & Peritione nihil heic praeci-
piemus, quod cum longum foret, de his omnibus
praecipere sigillatim, tum tempus ipsum, locus,
praesentia negotia, & ipsa denique quotidiana vita,
nobis ea omnia subministrant. Quamobrem ad
partem secundam generalem, hoc est, ad ratio-
nem ac modum Valedicendi hinc transeundum,
si prius nonnulla de ratione salutandi amicos
subiecerimus.

Sugge-

DE EPIST. SCRIB.

Suggere nunc igitur formulas quibus amicos in fine Epistole salutemus.

Rectè mones, nam cum amico salutem annunciamus, id ferme ante, Vale, fieri consuevit, hoc vel simili modo.

Amicos omnes ex me saluta.

Salutabis parentes meo nomine.

Patrem tuum salutes velim officiosè.

Carissimam matrem salutabis à me diligenter.

Sodalitatem totam saluta meis verbis accuratè.

Saluta omnes, qui de me istuc percunctabuntur.

Fratribus tuis ex me multam salutem dicito.

Optimo parenti tuo à me plurimam salutem nunciato.

Saluebit à me noster Lepidus officiosè & accuratè.

Dic me tuis omnibus omnia læta faustaq; precari.

Mihi apud amicos omnes vicarius esto salutator.

Amicum nostrum D: Petrum à Valle, iube à me saluere plurimùm.

D. Henrico Verrepæo precaberis à me læta omnia & felicia.

Salutem à me Caueguntio, & si quem alium beneuolentem videris.

Eximium virum Ioan. bellerum ex me etiam atq; etiam saluere iube.

Optimo viro & homini doctissimo M. Rumoldo Verdonck nos etiam atque etiam commendes oro.

Ad M. Henricum Deruenum si quid dederis litterarum, illi ex me salutem adscribes plurimam.

Amicos omnes, sed inprimis ac præcipuè M. Iasp.

Vetarum nostrum à me saluere iube plurimùm.

Bene

Bene valebis salutato hospite meo M. N. N. & eius
sore virgine modestissima.

Campagriū nostrum eximia spe, summæ virtus
tis adolescentem salutato meis verbis dili-
gentissimè.

Læuius saluebit à me officiosè & diligenter, Item
Berkelius Ghilsius ac reliqui quos istic me
nosse putes.

Apud amicos omnes tu fac nomenclatorem agas,
ac singulis nominatim ex me salutem dicito,
Vale.

Onerabo te non magna sarcina, vt Ipras profici-
scens, salutem meo nomine perferas ad illius
urbis Antistitem.

Ornatissimum virum D. Houelmannum meis
verbis saluere iube, itemq; cæteros, quos ferè
habemus amicos communes.

Saluta mihi communes amicos, Iacobum Gerar-
dum & Cornelium. Nam in præsentia non
suppetit otium scribendi pluribus.

Saluere plurimùm à me iubeas Danieleſm Sufium
Mechlinianum adolescentem optimis disci-
plinis deditissimum, dignumq; sanè tali pa-
rente filium.

In salutandis amicis, quoniam in præsentia non
vacabat pluribus scribere, N. rui vices gna-
uiter velim obeas.

Contubernalem nostrum olim Au. Viscanium si
quando videris, voles, ac vacabit, paucis ver-
bis, suo ipsius more salutabis.

Cum ad Maternum Cholinum dabis litteras ve-
lim memineris accuratissimam meo nomi-
nem salutationem adiungere, ipsi, vxori &
liberis.

Adolescenti multis animi fortunæq; dotibus ora-
natissimè

B

natissimè

DE EPIST. SCRIB.

natissimo Francisco de Plein precaberis à me salutem plurimam, & felicem studiorum successum.

Delassatus sum studijs & scribendis epistolis, Quare te rogo, vt apud Hunnæum nostrum præclarum virum mihi sis Epistolæ vice, donec dabitur otij pauxillum.

De D. Theodoro præfecto monasterij Cæcilianiam pridem prorsus nihil audimus, quæso iube eum à nobis saluere & meminisse veteris nostræ familiaritatis Coloniensis

Omnes quibuscum istic viximus nominatim meis verbis salutabis, seorsum autem humanissimo viro, istic nuper hospiti meo D. Renero Helremanno Pastori S. Petri, me etiam atque etiam commendabis.

Valebis vir humanissime, simulque cum dabitur otium, Decanos nostros D. Longecrutium, Fabricium, & Langritiæum meo nomine salutabis, quibus & epistolam hanc dabis legendam tanquam ad ipsos quoque scriptam.

Amicis meis verbis salutem nunciato, nominatim autem humaniss. & integerrimis viris. D. Philippo & Laurentio, quorum cum istic agerem suauissima consuetudine, cum primis delectabar, salutem ex me impertire plurimam.

Parisium Typotium, Læffium, cæterosque quos nostri amantes esse nosti, iube meis verbis saluere quam plurimum.

Et tu salue ac vale mi cariss. & optatissime Bembe, nosque amare perseuera, tui prorsus cupidissimos.

*Iam nomine alterius quo pacto salutem
adscribemus?*

Offi-

N.N. } Officiose te iubet salutari.
 } iubet te saluere plurimum.
 } iussit me tibi salutem scribere.
 } plurimam tibi impertit salutem.
 } impertiri te iussit plurima salute.
 } iussit tibi plurimam adscribi salutem.
 } annunciat tibi salutem plurimam.
 } optat tibi salutem veram ac solidam.
 } nihil non optat tibi faustum ac lætum.
 } precatur tibi omnia quę sibi met ipsi.
 } precatur tibi ac tuis omnia felicissima.
 } precatur tibi omnia euenire prosperrimę.
 } plurimam salutem impertit tibi ac Lentio
 } tuo.

Iam Epistolam complicaueram, cum adiret me frater tuus, qui te plurimum iussit saluere suis verbis.

Saluebis à Typotio nostro, adolescente mihi summe dilecto, & tui prorsus obseruantissimo.

Cum has ad te litteras exararem, aderat fortę Loæus noster, rogabatq; vt suo nomine salutem tibi ac familię tuę impertirem. Cic. Valebis igitur, & valere Pijtiam nostram iubebis, & saluebis à meo Cicerone.

Profer etiam formulas, quibus salutantem decore ac honeste resalutemus.

Pergenius noster tuis verbis per me salutatus, vicissim te meis resalutat.

Hubertino tuis verbis salutem dixi, qui lætissimus de te audiuit, remittitq; salutem ingenti favore cumulatam.

Greuenius noster, quam tuis verbis salutem dixi, libeter accepit, teq; vicissim per meas litteras officio



ficiosè saluere iussit. Amici per me tuo nomine diligenter salutati, dederunt hoc mihi negotij, vt te vicissim suo nomine iuberem saluere. Vicissim tibi salutem adscribunt, quos per me nuper saluere iussisti, Petrus, Paulus, & Martinus ministri nostri culinarij.

Nunc velim ostendas, qui excusabitur Epistola subito & neglectius scripta.

Character Epistolæ neglectior, testis est summæ nostræ festinationis. Hæc exaravi multis distractus negotijs, animoq; curis valdè impedito.

Hæc occupatissimus ad te scripsi, & rus iam iam profecturus ac viam iniens.

Hæc scripsi ex tempore plus quàm occupatissimus, scripturus aliàs accuratius:

Ex tempore scripsi hæc & incogitantius alioquin nec meditatus satis probus scribendi artifex.

Hæc scripsi raptim & plus quàm ex tempore, fortè oblato tabellione, scribam aliàs accuratius.

Dictaui hanc ad te Epistolam, non scripsi, quòd essem iam scribendis litteris defatigatus, Rectè vale.

Hæc scripsi præproperè & perturbatè, quod ex litteris ipsis & sensis facilè conijcies, quæso festinationi meæ & breuitati litterarum des veniam, Vale.

Non possum cohibere calamum, quin apud te quiduis fundat tuum erit cogitare, ita N. tuum ex tempore scripsisse, vt ei simplex animus dictabat, & accipere omnia in partem meliorem.

Sed ad valedictionem nunc transeamus, quæ est

EPISTOLAE pars altera generalis.

Præter

*Prius quàm Vale subijcias, nihil precipies de
Epistolæ breuitate?*

Epistolæ breuitas & prolixitas accommodari debent Personis ipsis, & negotiis. Nam qui multis negotiis distinentur, aut alioqui fastidiosi sunt, prolixitatem vel mediocrem aspernantur: Apud hos igitur Laconismo, seu breuitate utendum est. Si verò materia prolixitatem flagitet, excusabitur ea rei ipsius qualitate, vel dulcedine cum amico colloquendi.

Sin ad eum scribas, quem metuas offensum iri litterarum tuarum breuitate, excusabis negotia, quibus vel ipse distineris, vel is cui scribuntur litteræ.

Porro quæ vel nimis breuis, aut nimis longa Epistola videri debeat, ad hanc regulam, velut ad amussim, exiges.

Si necessaria omiseris: omnes sunt nimis breues.

Si superuacanea infarseris, omnes sunt nimis longæ.

Tu nunc perge ad reliqua. (gæ.

DE VALEDICTIONE.

Quid est Valedictio?

VALEDICTIO est Epistolæ terminus. Quemadmodum enim à salutatione Epistolam exordimur: ita hoc verbo, Vale, claudimus.

Quæ sunt aptissima valedicendæ formulae?

Vale. Valebis. Bene vale. Vale & salue. Vale feliciter. Vale rectissimè. Fac ut valeas. Cura ut valeas. Da operam ut valeas. Vale mi N. & salue. Vale vir integerrime. Vale etiam atque etiam. Vale iterum atque iterum. Vale cum tuis

B 3 omni-

DE EPISTIS. SCRIB.

omnibus. Opto te diu bene valere. Da operam ut
bene valeas. Cura si me diligis, ut valeas. Cura te
etiam atque etiam, & vale. Cura, ut quam rectissime
me valeas. Cura ut valeas, & me, ut amas, ama.
Etiam atque etiam cura ut valeas.
Vale feliciter mi N. in Christo Iesu.
Vale o & praesidium & dulce decus meum.
Vale pancraticè, aut si mauiis athleticè.
Vale mi carissime & suauissime Ghilfi.
Ne longior sim vale, & nos, ut facis, ama.
Vale mea carissima & optatissima mater.
Bene valere te cum omnibus tuis precor.
Vale felix & faustus vir omnium humanissime.
Bene vale vir animo meo longè carissime.
Vale etiam atque etiam & saluae plurimum.
Incolamem te nobis diu seruet Deus Opt. Max.
Bene vale. D. Valeri amice plus quam Pyladee.
Bene vale mi N. animæ plus quam dimidium
meæ.
Bene vale, mea mihi vita carior dulcissime Pater.
Bene vale, amicorum doctiss. & doctorum ami-
cissime.
Bene vale, doctissime doctor & amice incompa-
rabilis.
Bene vale cum suauiss. coniuge tua, dulcissimisq;
liberis.
Bene vale, nostri memor, praesertim in precibus
tuis.
Bene vale, mi Pergeni, & nos amare, quod facis,
perge.
Te cum vniuerso collegio tuo quam rectissime
valere cupio.
Bene vale, Nes, ut quimus, aiunt, quando ut vo-
lumus, non licet.

Si me

Si me amas D. Lindane, valetudinem tuam diligentiſſ. cura.

Adero iſtic ad Kalendas Maias, interea curabis vt feliciter valeas.

Dominus R. T. A. Eccleſiæ reiſq; publicæ diu ſeruet incolumem.

Vale mi ſuauiſſime N. & tibi perſuade te à me mirabiliter amari.

Bene valeat R. T. C. cui me modis omnibus & ex animo commendo.

Vale plura ad te ſcribam, cum, quas auidè exſpecto, tuas aliquando accepero.

Vale vir optime, idemq; doctiſſime Sconæ, cui me totum, vt debeo, ita dedo dicoq;.

Vale vir doctiſſime D. Suſi cui me quantus quantus ſum, ita dico conſecroq;.

Bene vale in Chriſto Ieſu, & me ex animo tibi fauentem redamare perge, Iterum vale.

Vale mi dulciſſime & deſideratiſſime N. iterumq; & ſæpius vale, atq; ſalue etiam atq; etiam.

Tu vale & nos dilige, quod te facere ita non dubito, vt nihil habeam tuo in me amore, nec certius nec iucundius.

Vale iterum.

Licetne verbo, Vale, adijcere quippiam?

Planè licet, præſertim cum quid ſuccurrerit, quod eius, ad quem ſcribimus, animo tenaciùs velimus inhære.

Vale & ſtude. Vale, & reſcribe.

Vale, & Deum time. Vale, & me, vt amas ama.

Vale, & me, vt ſoles, dilige.

Vale, & diu ac feliciffimè viue.

Vale & me tui amantem redama.



DE EPIST. SCRIB.

- Vale, & nos, quod facis, amare perge.
Vale, & nos, quod mutuum facies, dilige.
Vale, & nos ama, quod, credo, facies mutuo.
Vale, & scribe ad nos quàm frequentissimè.
Vale, & me solito amore tuo fac prosequare.
Vale, & huc ad nos quàm primùm aduola.
Vale, & si me amas, labores ama & studia.
Vale, & de me, quæ voles, omnia tibi pollicere.
Vale, & me tui amantissimum vicissim ama.
Vale, & litterarum studijs incumbere diligenter.
Vale, & nos sæpe tuis litteris, si est otium, saluta.
Vale, & nos cū erit otium subinde tuis litteris re-
focilla.
Vale, & boni consulas has litteras plùs quàm ex-
temporarias.
Vale, & tumultuariam hanc responsionem æqui
boniq; consule.
Vale, & inconcinnam hanc rapsodiam fac boni
consulas.
Vale, & si me amas, ad nos, vt facis, omnibus de
rebus frequenter scribe.
Vale, & nos ama, si par pari referre velis, amore
omninò non vulgari.
Vale, & ora Deum, vt incolumis intra paucos
menses vobis restituar.
Vale, & commenda me precibus Domino, mutuo
um orationis beneficium impensurus.
Vale, & si quid liberiùs aut imprudètiùs effutiui,
da veniam homini non aliter instituto.
Vale, & si vacat, rescribe, non accuratè, sed vt ego
nunc quidquid in buccam primùm venerit.
Valebis ipse, & humanissimum virum, M. Paulum
Vitruuium cum vniuersa familia bene valere
iubebis, Rursum vale.

Si quid

Si quid forte per obliuionem exciderit animo, licebit ne illud quoq₃ subijcere post Vale?

Si post Vale, fortassis neglectum aliqui d succurrerit: aut si quid sit, quod animo eius, ad quem scribimus, velimus tenaciùs inhærere, honestè illud his fermè modis addi poterit.

Vale, sed prius quàm obsignem epistolam, hoc ad-

dam.

Vale: Sed percommodè hoc mihi nunc in men-

tem venit.

Vale Sed mane paulisper. Nam est aliud quod ad-

ijciam. Vale Sed quàm pænè me fugerat, quod

maximè te scire volebam noster Turck.

Vale. Sed non grauabor hoc quoque adscribere in

gratiam nostri Sadoleti.

Vale: Sed heus tu, propemodum præterieram

quod in primis dictum oportuit.

Vale: Sed pænè exciderat negotium nostri Mero-

dani, quod non oportuit prætermisum.

Vale, sed ò me obliuiosum, pænè serò VVingardi

mei negotium in mentem venit.

Vale, sed heus tu omiseram vnum, quod tu non

minus libenter leges, quàm cætera.

Vale, sed mane paulisper, nunc demum occurrit

animo quod primo loco dictum oportuit.

Vale, Sed obsignaturo epistolam, illud percom-

modè venit in mentem, quod omissum dole-

rem.

Vale, Sed scriptis hic litteris, venit in mentem ex-

quirere abs te, ecquid nostri nunc agant Ros-

femij.

Vale, iam parabā obsignare litteras: Sed quia præ-

ter spem otij non nihil obtigit, libet etiam

B 5

diutiùs



Appellatus } Aedibus D. Decani.
 uis ut, ex } nostro Museo.
 } Pandocheo.

Quid deinde post Locum?

Post Locum verò Tempus iam statim adscribetur: Nam ex eo cognoscitur, quæ Epistola sit prior, vel posterior.

Anno } Domini Millesimo Quingent. Septuagesimo
 Christi nati, Septuag. supra Sesquimilles.
 A Christo nato. } Septuagesimo primo
 A Christi natali. } post millesimum
 A Christi natiuitate } & Quingentesimo.
 Post Christum natum }
 Post natum Seruatorem } CIO. ID. LXXII.

Anno } Salutis humanæ }
 Partæ Salutis } CIO. ID. LXXII.
 Assertæ Salutis }
 A partu virginis }
 A partu virgineo } CIO. ID. LXXII.
 Salutiferi partus }
 Ab orbe redempto }
 Redētionis humanæ } CIO. ID. LXXII.

Adjicieturne Mensis & dies mensis? Maximè

Kalendis, Nonis, Idibus, Ianuarijs vel Ianuarij. *Ad kal. Ianu. pro ipsis kal. sine numero nō dicitur.*
 Ad Quartum Kalend. Nonas, Idus Ianuar. vel Ianuarij. *Ad quartum Kal. Ianuar. 1.*
 Tertio kalendas, Nonas, Idus Ianuarias vel Ianuarij. *Quarto Kal. Ianu. non circiter.*
 Vel more recentiorum. *Quid*
 Primo die Mensis Ianuarij.
 Decimo die Maij.
 Ultimo Decembris.



DE EPIST. SCRIB.

Quid? Licetne Christianorum ferijs indicare diem? Licet.

Natali Christi Seruatoris.

Die festo Paschæ, vel pentecostes.

Ferijs assumptæ B. Virginis Matris.

Pridie omnium Sanctorum.

Postridie Conuersionis B. Pauli.

Ecclesiasticæ Dedicacionis ferijs.

Hilaribus nostris, Ipsius Regalibus.

Quin & Diei & Noctis horam licebit interdum adscribere.

Prima luce, Summo mane, Diluculo.

Crepusculo matutino vel vespertino.

Sub cœnam, Inter cœnam, Mox à cœna.

Nocte vel noctu, Aduentante iam nocte.

Alta nocte, Multa nocte, Ad multam noctem, Nocte intempesta.

Adijcieturne in fine scriptoris nomen?

Adijcietur, si initio Epistolæ, non expresseris, aliàs minimè.

Paulus Manutius.

Manutius tuus ex animo.

Tuus toto ex animo Manutius.

Tuus Bembus.

Tuus ex animo Bembus.

Petrus Bembus ex animo tuus.

Tuus verè Sadoletus.

Tuus toto pectore Sadoletus.

Tuus ex animo Sadoletus.

Tuus totus Longolius.

Tuus quantus est Longolius.

Longolius ille tuus toto animo & corpore.

Tuus

Tuus tuo merito Leuinus Torrentius.
 Tuus verè & ex animo totus Ant. Flaminius.
 Tuus, Vt nosti, toto pectore, Ioach. Perionius.
 Item, qui semper, totus tuus, Petrus Victorius.
 Tuus semper in Christo clientulus Carpentarius.
 Tuus, vti nosti ex animo totus, Cor. Valerius.
 Tui, vti scis amantissimus, Anto. Muretus.
 Tui obseruantissimus, Ioan. Sambucus.
 Tui ex animo studiosus, Carolus Sigonius.
 Tui nominis obseruantissimus cultor. Fran. Robertellus.
 Tibi addictissimus cliens, Basilius Zanchius.
 Tibi toto ex animo deditissimus clientulus Laurent. Gambare.

Quid scribemus ad viros nobiles, aut singulari aliqua virtute vel dignitate illustres?

Tuæ Clementiæ	}	Deditiss. Addictissimus,
Tuæ Celsitudini		
Tuæ Amplitudini		
Vel:	}	Obseruator, cultor,
Præstantiæ tuæ		
Reuerentiæ tuæ		
Dignitati tuæ		

Vel singulis litteris.

R. T. }	} id est	[Reuerentiæ tuæ.
D. T. }			Dignitati tuæ.
C. T. }			Celsitudini tuæ.
A. T. }			Amplitudini tuæ.

VEL.

R.T.C.

DE EPIST. SCRIB.

R. T. C.	} id est }	Reuerendæ tuæ Celsitudinî.
R. T. A.		Reuerendæ tuæ Amplitudinî.
R. T. D.		Reuerendæ tuæ Dignitati.
R. T. P.		Reuerendæ tuæ Frætantia.

Sed videbor in his fortè modum excedere, quamobrem nunc si placet, epistolam obsignemus, & qui posiremus nostri, in hoc primo libro, operis & instituti labor est, Inscriptionem epistolæ, Græci Epigramma, vulgus Supercriptionem nominat: adiciamus, quæ est tertia pars Epistolæ generalis.

DE SUPERSCRIPTIONE.

Quid est igitur superscriptio?

Superscriptio est, quæ in summo Epistolæ iam obsignatæ ponitur, constatq; nomine & cognomine eius, cui scribitur: & congruenti eius Epitheto, tum & loco in quo idem habitat:

Quid in ea potissimum obseruandum?

Iam dixi, ut utamur in ea appposito & congruenti Epitheto, non absurdo, non otioso, non mendaci, quod oneret personam, non honoret.

Aliud enim accommodabitur Pontifici, Cardinali, Episcopo, Abbati, Pastori, vel Theologo: Aliud Imperatori, Regi, Duci, Comiti, Baroni, vel alteri viro nobili ac generoso.

Aliud Magistratum decet, Aliud hominem priuatum, Aliud senem, Aliud adolescentem. Et doctum aliud, aliud indoctum.

Debet igitur Epitheton qualitati personæ cui scribimus, hoc est, conditioni, officio, & dignitati eius congruenter & aptè respondere: Ut exempli causa, Indoctum aliquem Iurisperitum, grauem

grauem potius dices, quam eruditum. Et negligentem ac supinum Pastorem, quiduis potius quam vigilantem.

Profer igitur & ostende Epitheta, quae cuiusq; hominis qualitati congruenter possint accommodari? Age faciam.

- | | | |
|---|---|--|
| Summus Pontifex. | { | Sanctissimus, Beatissimus.
Pontifex max. Pontifex summus.
Summus Sacerdos.
clementiss. B. Petri successor. |
| Cardinalis.
Episcopus. | { | Sanctissimus Antistes.
Amplissimus Praesul.
Reuerendissimus in Christo pater.
Reuerentia dignissimus in Christo
(Pater ac praesul.
Reuerendus, Colendus. |
| Abbas.
Monachus.
Decanus.
Pastor.
Sacerdos. | { | suspiciendus, Honorandus.
Venerandus, Venerabilis.
Religiosus, Religiosissimus.
Spectatus, Circumspectus.
Honestus, Probatus.
Egregius, Eximius.
Excellentiss. Praestans.
Vigilantiss. Integerrimus.
Christi venerandus Sacerdos.
Sanctitate multa conspicuus:
Religione & pietate cum primis
venerandus. |
| Cesar. | { | Caesarea Maiestas. Sacra Maiestas.
Augustus, Diuus.
Supremus orbis Monarcha.
Felicissimus totius orbis moderatores
Inuictiss. Romanorum Imperator.
Inuictissimus & potentiss. Princeps. |
- Rex.



DE EPIST. SCRIB.

Rex. { Regia Maestas.
 Christianissimus, Inuictissimus.
 Serenissimus, Clementissimus.
 Potentissimus, &c.

Dux } Illustrissimus.
 Princeps } Clarissimus.
 Splendidissimus.
 Generosissimus.
 Excellentissimus.

Comes. { Illustris, Inclitus.
 Marchio. } Generosus, Nobilis.
 Baro. } Præclarus, Excellens.
 Eques. } Antiqua nobilitate vir.
 Miles. } Generis nobilitatis illustris.
 Antiqua nobilitate splendidus.
 Rei bellicæ expertissimus.

Consul. { Vigilantissimus, Præstantissimus.
 Senator. } Clarissimus, splendidissimus.
 Prætor. } Ornatissimus, Excellentissimus.
 Iudex. } Amplissimus, Crauissimus.
 AEdilis. } Prudentiss. Magnificentissimus.
 Trib. ple } Integerrimus, Incorruptissimus.
 bis.

Theologus. { Eximius, Egregius. } Sacræ Theologiæ
 Integer, Sincerus. } Professor.
 Absolutus Grauis, }
 Sapienst. Doctiss. } Sacrarum } litte
 Eruditione præcell. } Diuinarum } ra
 rum Professor.
 Iuris

Iuris-
peritus { V. I. consultiss. Doctor verè egregius.
Peritissimus Legum interpret.
Consultiss. Prudentissimus.
Pontificij & Cæsarij Iuris Doctor.
Cum sapientiss. tum integerrimus.

Medicus { Clariss. Peritiss. Cum primis fidus.
Medicinæ Doctor præstantissimus.
Eximius rei Medicæ Doctor.
Multa doctrina, multoque rerum vsu
excellens.

Pater Optimus, Plurimum obseruandus, Perpetuo
amore venerandus.

Mater. Carissima, Honoranda, Indulgentissima.

Frater. Carissimus, dilectiss. Cum primis carus.

Soror. Carissima, Suauiss. Vnicè sibi cara.

Filius. Dulcissimus, Suauiss. Dilectissimus

Patruus. Obseruandus, Honorandus, Colendus.

Vxor. Optima, Carissima, Suauissima.

Nepos. Carus, Dilectus, Vnicè amandus.

Sodalis. Lepidiss. Iucundissimus, Facetissimus,

*Augetur quoq; Positiuus Intendendi
Aduerbijs.*

Pater. Patruus. Præceptor. Dominus.	{ Multum, plurimum, Admodum, Summè, Valde, Vnicè, eximie, Præcipue, Singulari- ter, Inprimis, Cum primis, Appri. Maxi- mè omnium, modis omnibus, Maiorem in modum &c.	} Obseruādō. Venerandus. Colendus. Suspiciēdō.				
			C	Amicus		

C

Amicus

DE EPIST. SCRIB.

Amicus } Optimus, summus.
Singularis, haud vulgaris.
Sincerus, Integer.
Carissimus, Longè carissimus.
Percarus, vnicè carus.
Inprimis, Cum primis carus.
Dilectus, Summè dilectus.
Incomparabilis, Pyladeus.

Viri excellentes } Prudentia & auctoritate præcellentes.
Vita & moribus ornatissimi.
Eruditione & rerum vsu præstantes.
Pietate & eruditione insignes.
Excellenti doctrina & virtute egregij.
Vndecunq; vel vndequa; doctissimi.
Optimates, Summates, Viri primarij.

Adolescens } Probus, ingenuus, Modestus, Permodestus.
Liberalis, Benè moratus, Benè frugi.
Ingeniosus, Doctus, Eruditus, Litteratus.
Optimæ, Eximiæ spei, vel optima, eximia spe.
Præclaræ, generosæ indolis, vel rara indole.
Spectatæ probitatis, vel tate.
Summo ingenio & virtute.
Ad maxima quæq; natus.
Litterarum studiosissimus.
Omni liberali arte politissimus.
Optimarum artium studijs eruditus.
Ingenuarum artium Candidatus.
Sūma modestia & singulari probitate.
Summo ingenio, summa; doctrina, & singulari modestia.

Matro

Matrona. { Proba, modesta, integra, summa integritate.
 { Primaria, generosa, nobilis.
 { Præstantissima, honestissima.
 { Eximia pietate, virtute, gratia.
 { Grauis. atq; optima, Spectatiss. probitate.

Puella. { Blanda, faceta, iucunda, lepida.
 { Pudica, casta, optimè morata.
 { Castitatis exemplū, Honestatis speculū.

Opifex. { Industrius, solers, peritus, perspicax.
 { Eximius, egregius, diligens, industrius.
 { Vir prudens, spectatus, circumspectus.

Inscriptionum Forma aliquot, ac velut exemplaria.

AD PATREM.

Optimo & integerrimo ciui & Senatori Coloniensi Materno Cholino parenti suo pientissimo & plurimum obseruando, ad signum Torquis typographo. Colonia.

Ad Patrum vel Auunculum.

Circumspecto prudentiq; viro Lamperto Leuio ab Outhuesden patruo vel auunculo suo singulariter obseruando. In Outhuesden.

Ad Praeceptorem.

Eruditione, virtute, & moribus excellenti viro N. Bernardo Hacio, Moderatori Scholæ in VVesterlo, Praeceptori suo carissimo & vnicè colendo. In VVesterlo.

Ad Fratrem.

Ingenuo, & probo adolescenti Phil. Paludano fratri suo carissimo, bonarum artium studio in Collegio Gandauensi. Louanij.

C 2 Ad

DE EPIST. SCRIB.

Ad Cognatum.

Præclaræ eruditionis adolescenti M. Iohan. Houelmanno iuniori, V. I. Licentiato cognato suo carissimo. Bruxellæ.

Ad Filium.

Studio liberalium artium adolescenti Guil: à VVeldam Bruxellano filio suo carissimo, In Pædagogio Standonico. Louanij.

Ad litterarum Studiosum.

Liberali indole & eximia spe adolescenti Iohanni von der Linden, liberalium disciplinarum cum primis studioso. Hiluarenbecæ.

Ad Sodalem.

Generoso, summaq; eruditione & probitate adolescenti Iacobo von der Noot, Diesthemio, sodali suo, & amico verè Pyladeo. Hiluarenbecæ

Ad Sodales.

Generosis, litterarumq; candidatis adolescentibus Huberto Malsen, Liberto Turck, Othoni Pælgheest, & Guil. Spierinck, sodalibus suis iucundissimis, & summè dilectis. Hiluarenbecæ.

Ad contubernales.

Præclaræ indolis & magnæ spei adolescentibus Iohanni Hallæ Antuerpiano, Huberto Parisio Bruxellensi, Iacobo VViflet Turnhautano, & Ioan. ab Rauenstein. Buscoducensi, contubernaliibus suis vnicè caris. Hiluarenbecæ.

Ad Discipulos.

Præcellentis ingenij & optimæ spei pueris Corn. Cetæro, Hadriano Hauermanno Bredanis. Martino Pinaerts Bruxellensi, & Iohan. Remeo Antuerpiano, Discipulis suis ingenuarum artium studiosissimis, Hiluarenbecæ.

Ad

Ad Ciuem.

Speſtato & induſtrio ciui Hieronymo VVel-
lao ſub ſigno Diamantis bibliopolæ, amico ſuo
integerrimo, ac in primis caro. Louanij.

Ad Mercatorem.

Eximio & circumſpecto viro Ioanni de Bie,
apud Antuerpianos œnopolæ, cognato ſuo & a-
mico percaro. Antuerpiæ.

Ad Opificem.

Egregio & verè induſtrio viro M. Alexandro
Volcano à Nuremberga in ſigno giadij inaurati
cultrario. Siluæducis.

Ad Secretarium.

Præſtanti ornatoq; viro M. Cornelio vanden
VVerck ciuitati Bredanæ à ſecretis, amico & fau-
tori ſuo haud Vulgari. Bredæ.

Ad Aduocatum.

Eruditione, prudentia, & integritate præſtanti
viro M. Ioan Buſchot in curia Brabantia Aduo-
cato, amico ſuo præcipuè obſeruando. Bruxellæ.

Ad Conſulem.

Clarifs. & integerrimo viro D. Ioanni von
der Linden equiti inaurato, oppidiq; Louaniensis
Conſuli meritifs. patrono ſuo ac domino pluri-
mum venerando. Louanij.

Ad virum Conſularem.

Virtute & ſingulari vitæ integritate præſtan-
ti viro Gerardo à Palaude, ciuitatis Bredanæ viro
Conſulari, amico ſuo mirum in modum obſer-
uando. Bredæ.

Ad virum ſumma auctoritatis.

Prudentia & multo rerum vſu excellentifs.
viro Damaso Lindano vrbis Dordracenæ ciui ce-
lebero

DE EPIST. SCRIB.

celeberrimo, Mecœnati suo vnicè colendo & obseruando . Dordraci.

Ad virum primariæ dignitatis.

Clariss. ornatissimoquè viro ac Domino D. Viglio Zuichemo arcani consilij Regis Hispaniarum digniss. Præsidi, & auratæ militiæ Cancellario, amico suo & Domino singulariter obseruando. Bruxellæ,

Ad virum Nobilem.

Illustri & generoso viro D. Richardo à Meroda, toparchæ ac Domino in Hiluarenbeeck, In Orschot etc. Patrono suo ac Domino inter primos obseruando. In Orschot.

Ad Eloquentiæ Professore[m].

Clariss. viro, virtutèq; ac eruditione ornatiss. M. Cornelio Valerio Ultraiectano, in celeberrima Academia Louaniensi eloquentiæ professori, præceptori suo cum primis colendo. Louanij.

Ad Doctorem Iurisconsultum.

Eruditione, eloquentia, & integritate præstantiss. V. I. Doctori M. Ioanni Ramo, amico & Patrono suo summè venerando. Louanij.

Ad Doctorem Medicum

Præstanti eruditione, multaquè experientia celeberrimo viro M. Remberto Dodonæo Mechlinianæ ciuitatis Doctori Medico, amico suo integerrimo. Mechliniæ.

Ad Theol. Doctorem.

Insigni doctrina, pietate & integritate clariss. viro M. Michaeli Baij S. Litterarum Professori Regio, & Celeberrimi Collegij Pontificij vigilantiss. præsidi, Domino suo ac Præceptori summè colendo, Louanij.

Ad

Ad Sacerdotem.

Optimo viro ac Christi venerando Sacerdoti D. Nicolao Pompenio, Sacratarum Virginum Vallis S. Agnetis apud Dommelanos hierarcha, amico suo integerrimo. In Dommelen.

Ad Pastorem.

Eruditione, prudentia, & rerum vsu ornatissi. viro S. Theol. Licentiate M. Petro Simonio Collegiatae Ecclesiae Hiluarenbecensis primario, Pastori & canonico, Domino suo vnicè venerando. Hiluarenbecæ.

Ad Decanum.

Præstantiss. & eruditione & integritate viro M. Rumuldo Vergheest, Metropolitanæ Ecclesiae Mechliniensis Decano, amico suo & Domino summè colendo & obseruando. Mechliniæ.

Ad Cœnobiarcham.

Probitate vitæ ac rara eruditione excellenti S. Theol. Professori. D. Petro Bachero Gandauensi, Dominicanæ professionis apud Louanienses vigilâtiss. Cœnobiarchæ, amico suo integerrimo. Louanij.

Ad Abbatem.

Reuerendo in Christo Patri ac Domino, cum generis nobilitate, tum virtutis & eruditionis laude clariss. D. Ioanni von der Linden Gertrudani cœnobij apud Louanienses Abbati præstantissimo. Louanij.

Ad Episcopum.

Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, D. Francisco Sonnio primo ac digniss. Cathedralis Ecclesiae Antuerpiensis Episcopo, Domino ac Mecœnati suo plurimum obseruando. Antuerpiæ.

D E E P I S T. S C R I B.

Sed longius ravior quàm institueram: Quam obrem omisis singularum personarum inscriptionibus, nunc Siluulam adiiciamus, ex qua reliquas facile licebit mutuari.

Sed nondum audiui inscriptionem Pontifici Max, Cardinalibus, Regibus aut Imperatori accommodatam.

Nos hæc pueris præparamus, quibus ad huiusmodi personas illustriores non offertur scribendi necessitas, vel occasio.

Nunc igitur Siluulam, quam dixi, addamus, ex qua multarum inscriptionum materiam licebit cuius petere.

Doctissimo viro.

Eximio viro ac Dn.

Docto ac probò viro.

Eximie pietatis viro.

Summæ integritatis viro.

Singularis Doctrinæ viro.

Ornato & splendido viro.

Viro vndecunq; doctissimo.

Prudenti & officioso viro.

Egregio ac religioso Patri.

Eximio S. Theologiæ Professori.

Singulari vitæ integritate viro.

Claris orto natalibus adolescenti.

Venerabili ac circumspetto viro.

Erudito pariter ac probò viro.

Doctissimo & integerrimo viro.

Eruditissimo & humanissimo viro.

Ornatissimo præstantissimoq; viro.

Amplissimo grauissimoq; Domino.

Nobilitate & virtute præstanti viro.

Aucto

Auctoritate & prudentia ornatissimo viro.
 Clarissimo pariter ac humanissimo viro.
 Multis nominibus ornatissimo viro.
 Virtute ac integritate præstanti viro.
 Pientissimo viro S. Theologiæ Licentiato.
 Auctoritate clarissimo & spectatissimo viro.
 Summa virtute, & singulari humanitate viro.
 Præstanti eruditione & integritate viro.
 Viro omni virtute integritateq; præstanti.
 Vtriusque litteraturæ callentissimo viro ac Do-
 mino.
 Eximia tum indolis tum etiam virtutis adole-
 scenti.
 Reuerendo & pietate ac doctrina præstanti viro.
 Insigni & pietate, & eruditione viro ac Domino.
 Vitæ morumque integritate præstanti celebri-
 que viro.
 Ingenio, doctrina, & eloquentia excellentis.
 viro.
 Priscæ ac veræ nobilitatis insignisque eruditio-
 nis viro.
 Nobilitate, prudentia ac eruditione clarissimo
 Senatori.
 Clarissimo viro, & omni virtute, doctrina, elo-
 quentiaq; ornatissimo.
 Eximio viro D. N. optimarum disciplinarum ac
 Iurisprudentiæ callentissimo.
 Sed ne longiore in hanc siluam progressu fatige-
 mur, repetamus nunc domum: & quæ re-
 liqua sunt, die crastino absoluamus. D. Ita
 fiat.

C 5 LIBER

DE EPISTOLARI
LIBER II.
DE EPISTOLARI
ELOCUTIONE.

D. Salue Præceptor obseruande, Iam, vt conuenerat, quæ reliqua sunt persequamur: Et si placeat de epistolari elocutione, & artificiosa verborum constructione paucis nunc etiam differamus.

P. Rectè tu quidem admones: Nam cum officium scripturi epistolam sit tripartitum: Inuenire, Disponere & Eloqui, pars hæc postrema est omnium difficilima: Inuentio enim & Dispositio magis ingenio & prudentia, quàm artis præscriptione comparantur.

Elocutio Verò concinnaq; & elegans verborum structura, arte & præceptis plurimum iuuatur, Imitatione deinde & exercitatione multa perficitur. Nec quisquam hanc faciliè comparauerit, nisi norit, quæ sint verborum discrimina, quæ coagmentatio & structura, quæ syllabarum quantitas, qui pedes orationis, quæ periodi numerosa circumscriptio.

Quid? quod ista etiam omnia nouisse, satis non est, sed ea in calamus et vsum vocanda sunt, ne sint velut thesaurus absconditus, aut gladius intra vaginam hærens.

De Elocutione nunc igitur dicturi, definitionem eius initio positam repetamus.

Quid est igitur Elocutio?

ELOCVTIO EST, qua res inuentas & dispositas Latine, Plane & Ornate efferimus. Quibus ex verbis intelligimus Elocutionem in eo consistere, vt materiam epistolæ Latine, Plane, & Ornate

Ornatè efferamus. De his igitur tribus agendum nunc ordine.

Quæ sunt Latinae Orationis virtutes?

Tres.	Age, quæ sunt?	
Latinitas,	} cui opponitur {	
Perspicuitas,		Barbarum.
Ornatus.		Obscurum. Inornatum.

Oratio Latina quæ dicitur?

LATINAM ORATIONEM dicimus, quæ constat sermone puro & emendato, hoc est, quæ ad Grammaticæ præcepta accommodata, Ciceroniani seculi auctorum usu comprobatur. Ciceroniani seculi auctores optimi sunt, ipse in primis M. Tullius Cicero, Adhæc Cæsar, Salustius, Varro, Virgilius, Horatius. Ex quibus Cicero & Cæsar maximè propriè & Usitatè locuti sunt.

Latinam orationem quæ vitiant?

Barbarissimus, Barbara lexis, & Solæcismus

BARBARISMVS est dictio, contra Latinæ linguæ præcepta vitiosè vel scripta, vel pronunciata.

SCRIPTA, cum peccatur in Orthographia: vt, Causa pro caussa, Hyems pro hiems, femina pro femina, Tercenti pro trecenti, Charitas pro caritas. Vide libellum de orthographiæ ratione, quem Syntaxi nostræ adiunximus.

PRONUNCIATA, vitium est Proso dia, vt si pronuncies Charus pro carus, Tenèbræ media longa pro tenebræ in oratione soluta ac libera.

Barbara lexis, est dictio peregrina, in usitata, ac planè Barbara: vt Leuca pro miliari, Stufa pro hypocausto, Birretum pro pileo, Burgimagister

DE EPISTOLARI

ster pro Consule, Scabinus pro Senatore, Recompenso pro Compensio, Recompendo pro comendo.

ITEM, Passagium, Bannum, Baldum, Manuteuentia, Pitantia, Guerra. Capellania, Almutium. Plura Corn. Crocus in Augiæ stabulo repurgato, & nos quarto lib. nostrorum Progymnasium.

MVLTA iam vsu recepta sunt, & quasi latina donata ciuitate: vt, Bombarda, Lancea, Mappa, Gaza, Rheda, Ceruisia, Carrus, Carruca, Nonnus, Nonna, &c.

SOLOECISMVS est vitiosa partium orationis compositio: vt, Adiuuo tibi, Supplico te, Veni apud me, abiit foris, &c. Fit enim hæc cum vitiosè mutantur partium orationis accidentia: vt, Casus, Genus, Numerus, Tempus, modus, Persona &c. Quorum exempla nimis crebrò sunt obuia in quotidianis puerorum colloquijs, vt hic pluribus non sit opus.

Quæ Oratio perspicua dicitur?

ORATIO PERSPICVA dicitur, quæ constat verbis vsitatis, proprijs, & benè dispositis.

VSITATA verba dicuntur, quæ in quotidiana doctorum versantur consuetudine.

PROPRIA verò sunt, rerum vocabula non translata.

DISPOSITA sunt, structa recto ordine, non perturbato, nec longè traiecto. Et verò sūma virtus, orationis claritas, quæ proprietate vocum, & earum decenti collocatione mirè splendescit. At contra Mutila, hiulca, redundans, confragosa, quæ interfistunt, quæ malè connectuntur, quæ claudicant

claudicant, quæ dissentanea sunt, aurium sensum molestè feriunt, animũ offendunt, vim orationis interturbant: nec quenquam diu retinere possunt.

Perspicuitatem orationis quæ obscurant?

ACYROLOGIA, seu Improprietas, cum scilicet utimur sententia de communi usu remota & aliena: vt, Sperate Deum, pro timete.

ECLIPSIS, cum orationi aliquid deest, cuius defectu obscuretur sententia: Quale est illud: Nec spe, nec metu.

PLEONASMVS, cum aliquid orationi adijcitur superuacuum, quodq; sententiam magis obscuret quàm explanet: Ego ipsemet vidi: cum satis sit, Ego vidi.

AMPHIBOLOGIA, & anceps verborum contextus: vt, Aiunt Virgilium vidisse Ciceronem, vbi vter alterum viderit, relinquatur incertum.

HYPERBATA, seu implicata & obscuræ verborum traiectiones: vt si hæc verba Ciceronis, orationem autem Latinam efficies legendis nostris plenior, ita implices: Orationem autem nostris legendis plenior efficies Latinam.

HVC PERTINET, cum Casus à Verbo, vel substantium ab Adiectiuo longè separatur:

PARENTHESIS, vel longiores alicuius sententiæ interpositio, vt lector principalis sententiæ obliuiscatur, aut iam neutram intelligat:

LONGIORES PERIODI seu verborum continuationes, quàm vt eas lectoris intentio ingenio suo profèqui queat.

Quæ ornata Oratio dicitur?

ORNATA dicitur, si utamur apta orationis compositione ac structura, quam figuris quasi coloribus

DE EPISTOLARI

bus quibusdam sic depingamus, vt & animum delectet, & suauitate quadam permulceat.

In quibus ornatus iste præcipuè spectatur?

Ornatus orationis spectatur in } Iunctura litterarum,
 } Periodis,
 } Numeris,
 } Figuris.

Ecquid efficit iunctura litterarum?

Vt oratio concinna sit & elegans: Quod consequemur, si verba extrema cum consequentibus primis ita iungemus, vt nec vastè & hiulcè diducantur, nec asperè concurrant: Quod partim in vocalium, partim in Consonantium iunctura consistit.

Sed explana queso paulò apertius, quid in litterarum iunctura sit obseruandum?

Hoc scilicet, vt cum aurium iudicio diligenter aduertas, quas Vocales & quas consonantes rariùs aut sæpius coniungat ipse Cicero.

Nam vt oratio leniter & tranquillè fluat, vitari debet Collisio, seu Vocalium concursus, quem hiarum dicimus, & hinc orationem hiare, quæ malè coniuncta concinnataq; est, vt ex tabella proxima vtrunq; queat animaduerti.

Rarius coniungit Cicero	} a e. Nostra etiam refert. } a i. Tua in legatione. } a v. Silua vritur. } o e. Existimo etiam. } o v. Colligo vuas.	} In quibus } vocales quasi } fastidiscetes } difficulter & } asperè } confluunt.
-------------------------------	---	--

Sæpius coniungit Cicero	} e a. Tua me acuit oratio. } e o. Quare omnia relin- } quemus. } i a. Nisi à te cognouissem	} In his } suauior } iunctura } est.
-------------------------------	---	---

i o. Mi

i o. Mihi omnium carissimus.
 u a. Manu ac pede.

Ex Vo-
 calibus
 sonant

Clarissimè a & o. Sunt enim magnæ & vastæ, vt in voce Taratantara, Sed o, obscurior quàm a, vt Honore.
 Tenuiter e & v. Tenuissimè i.

Quò clariùs sonant litteræ, hoc fœdiùs hiant, vt, Cætera omnia ex illo audiet.

Quò tenuiùs sonant, hoc molliùs confluunt, Quod in his ferè contingit, quæ minus contorquent os, & minus offendunt pronunciantis instrumenta.

Hæ sepius, ac molliùs committuntur.

e i. Manere in suo instituto.
 e u. De vtroquè nunc dicam.
 i e. Id mihi erat molestum.
 i o. Nihil tibi opus erit.
 i v. Si mihi vnus est accusandus.
 u e. Fructu etiam nullo sequenti.
 u i. Tu ipse dixisti.

Fugienda tamen tenuium vocalium multitudo: vt Speciei, Progeniei, &c. cuiusmodi quòd sint odiosæ vastitatis, rariùs quoq; reperiuntur: In correptis tamen minor est offensio: vt, postridie ad me venit: Maior verò in longis & aspiratis, vt in loco arduo, Viro optimo morem gerere, In viridi herba.

Vocalis, quæ terminat dictionem præcedentem, & incipit sequentem, nullam parit confusionem.

a a. Tua ad nos Epistola.
 e e. Rectè enim dixisti.
 i i. Qui istuc fit. (mus.
 o o. Iudicio omnium priu.
 u v. Tu vnus hæc cōfecisti.
 Iam

DE EPISTOLARI

Iam vt de Vocalibus, quæ restant, absolua-
mus: hoc fanè intelligendum est vt crebra ac ni-
mia concursio Vocalium est euitanda: Ita modi-
ca, & quæ in loco fit, reprehendenda non est:
Quamobrem de his pueri, qui stylo dant operam
in otio litterarum, admonendi sunt, vt statim op-
timum discant assuescere.

Iam de Consonantibus dicendum est.

In consonan- tibus sonant.	}	Amplè, b, m, p.			
		Asperè, r, x, s. Exercitus, Xerxis.			
		Leniter, præcedens Vocales.			
		Tenuiter } <table border="0" style="display: inline-table; vertical-align: middle;"> <tr> <td rowspan="2">}</td> <td>ll geminatum.</td> </tr> <tr> <td>n in medio positum.</td> </tr> <tr> <td colspan="2">} d, t, s, z.</td> </tr> </table>	}	ll geminatum.	n in medio positum.
}	ll geminatum.				
	n in medio positum.				
} d, t, s, z.					

Cæteræ media censentur }	} clarè	I subiectum his litteris c, f, g.
		I in fine positum. (p.)
		n in fine & initio positum.

FUGIENDA est in componendo eiusdem
litteræ crebra repetitio: Exceptis his tribus. F. m.
& v consonante, quæ repetitæ sæpius minus of-
dunt.

R geminata, littera est insuavis et iniucunda,
stridens caninum quiddam, conuenitq; iratis, aut
bellicum canentibus: Nec frequentanda ab eo,
qui suauitati consultum volet, nisi forsan rem a-
speram & duram oratione tractet.

ADMONET etiam Quinctilianus, Videndum
ne syllabæ verbi prioris vltimæ, sint primæ se-
quentis: Quod tamen Ciceroni in epistolis exci-
dit: Res mihi inuisæ, visæ sunt Brute, Et in Car-
mine

mine : O fortunatam, natam me Consule Romanam.

ETIAM MONOSYLLABA, si multa sint, malè continuabuntur.

Brevium præterea verborum ac nominum vitanda continuatio est, ne Compositio minuta sit atq; concisa. Et ex diuerso, Longorum : Affert enim tarditatem.

QUI PLURA volet de Consonantium conagumentatione, consulat Quintil. lib. 9. cap. 4. Iac. Strebæum lib. 2. cap. 4. de electione verborum, Vel deniq; Cyprianum Soarium lib. 3. cap. 33. artis Rhetoricæ.

Nunc de periodis & notis distinctionum sequitur.

DISTINCTIONVM NOTAE, quibus in scribendo vtuntur Latini, sunt : COMMA vel incisum, COLON seu Membrum, & PERIODVS, quæ Ciceroni dicitur, Ambitus, Circuitus, Comprehensio, Continuatio, aut Circumscriptio, Verborum orbis. Quintiliano etiam conclusio.

COMMATA dicuntur partes Periodi imperfectæ, notatæ auerso semicirculo : vt, Utendum est ætate.

COLA verà, dicuntur Periodi partes perfectiores, signatæ duobus punctis : vt, Utendum est ætate, cito pede labitur ætas:

PERIODI sunt orationes absolutæ, quæ sensum concludunt, & notantur puncto, simplici ad imum litteræ posito : vt, Utendum est ætate, cito pede labitur ætas: Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Porro Commata sunt interdum in singulis ver-

D

bis

DE EPISTOLARI

bis : vt, Insequeris, fugio : Interdum in binis, ternis aut pluribus : vt, Me vis, me non vis, me crucias & amas.

COLA quoq; interdum breuiora sunt, interdum longiora, Quemadmodum in hoc exemplo: vt, rosa de spinis nascitur : sic e tristibus & asperis laboribus fructus rapitur suauissimus. Hic prius colon multo breuius est secundo.

PERIODI deniq; siue Circuitus sunt Monocoli, Bicoli, vel Tricoli, &c.
Hoc est, Unimembres, Bimembres, Trimembres, &c.

TRIA PORRO, auctore Fabio, in omni Periodo sunt obseruanda. Primum vt sensum concludat. Alterum, vt sit aperta & possit intelligi. Tertium, ne sit longior, quam vt memoria possit contineri: Nam vt in his nimia breuitas: Ita redundans effusio offendit & fatigat lectorem, & animu eius implet quadam facierate: Ducentur tamen nunc breuiores, nunc longiores, pro rerum magnitudine & aurium iudicio.

Hæc de periodis satis, aut etiam nimis multa, pro operis nostri instituto. Nam in Epistolis familiaribus, quæ, vt sermo quoq; noster Commatis & Colis ferè constat: Periodorum rarior vsus est, vt in quibus est satis, si non vagetur & dissoluta sit oratio.

Sed prolixior in his fui, vt ratio & vsus Numerorum, his prius benè cognitis, faciliùs queat percipi: Est enim in oratione soluta, sicut in versu, numerus & obscura quædam modulatio, quam purgatæ doctorum aures statim sentiunt ac percipiunt, de qua vt nunc dicamus, ordinis ratio postulat.

DE

ELOCUTIONE LIB. II. 26
DE NUMERIS, ET ORATIONE
NUMEROSA.

Cedò igitur, quid est Numerus?

NUMERVS, Græcè Rhithmus, est hoc loco suavis quædam orationis modulatio ex apta pedum collocatione & varietate proueniens.

ET HINC ORATIO NUMEROSA dicitur, quæ longis breuibufq; syllabis temperata, & ad aurium mensuram terminata, iucundè progreditur, & aptè cadit.

Cuius orationis tanta voluptas est, & oblectatio, vt etiam nesciorum aures blanda quadam voluptate, veluti lenocinio quodam capiat ac demulceat. Ea q; sic omnibus placuit oratoribus, vt Aristoteles, quo nemo nec doctior nec acutior, versum in oratione vetet esse, Numerum iubeat.

Quid? in totàne oratione, an in certa eius parte spectantur Numeri?

Numeri spectantur } Sæpè in principijs.
} Rariùs in medijs.
} Sæpissimè in Clausulis.

Nullus enim in oratione composita locus est, qui Numeris omninò vacare debet: Sed tamen initia & fines, sicut attentius audiuntur quàm media: Ita accuratiùs quoq; & numerosius quàm media componi debent.

Quo fit etiam, vt in principio & fine potissimum fugienda sit litterarum dura concursio, & Vocalium grauis hiatus, quibus scilicet vitiatur quidquid in Numero suauitatis est, Vt quod durè & asperè dixeris propter vocalium collisionem, carendo magis, quàm fruendo intellexi, suauius



DE EPISTOLARI

est dictum à Cicerone: Amicitiae quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Sed nunc de pedibus agamus.

Qui pedes principijs adhibentur?

A Cicerone } Spondeus, —
 } Pean primus. —uuu
 } Amphimachys. —u—u
 } Molossus. ———
 } Dochimus u—u—

Qui Pedes Probantur maximè in Clausulis?

A Cicerone } Dichoreus —u—u
 } Dactylus cum Bacchio —uuu—
 } Creticus iteratus —u—u—
 } Creticus cum Dactylo —u—uu
 } Bacchius u—
 } Creticus cum Spondeo —u—
 } Spondeus & Bacchius —u—
 } Dochimus u—u—
 } Dispondeus ———
 } Si Choreus præcedat, qui numerus
 } grauitate plenus iudicatur.

*Quid in Pedum Constitutione ca
 uendum est?*

I. Ne tam numerosa videatur oratio, ut nimia eius cura & affectatio deprehendatur: Nam etiam Virtutes ipsæ tedium pariunt, nisi gratia varietatis adiuentur: adeoq; nihil tam vitiosum est in orationis numero, quam si semper est idem.

Adhi.

Adhibendum est igitur iudicium aurium, principum Oratorum lectione diligenter informatum, Et pedes grata quadam varietate sunt permiscendi: Nam permistio longarum breuiumq; Syllabarum, iucunda & suavis habetur, ea præsertim, in quo dominantur longæ, vt, More maiorum. Esse videbatur.

Timendum fuisse cognouit.

II. Ex superioribus intelligitur & illud diligentissimè cauendum esse, ne verba apertè transciantur, quò melius aut cadat aut voluatur oratio.

III. Ad hæc ne inania quædam verba, quasi complementa Numerorum inculcentur.

IIII. Ne minutis concidatur infringaturque sententia.

Sed verba iam probata & electa concinnè conagmententur: Nam vel dura inter se commista potiora sunt inutilibus.

Multa sunt autem, quæ ijs vitijs declinatis numerosè componendi laborem minuunt. Sunt enim multæ figuræ, quibus & casus & numeri possunt variari. Sunt multa etiam quæ idem valent atq; significant: ex quibus exercitati facile illud eligunt, quod institutæ verborum comprehensio- ni maximè quadrat.

Observatum & hoc ab eruditis, Longiores Periodos à Cicerone Polysyllaba ferè dictione claudi, magisq; verbo quàm nomine, & Adiectiuo sæpius, quàm Substantiuo.

Sed hic illud rursus vitandum, ne sæpius in fine vtamur verbis plurium Syllabarum: quod etiam in Carminibus permolle est.

D. 3

Postre

DE EPISTOLARI

POSTREMO cum Carmen in oratione soluta, vitium sit vel maximum, arguit enim vel dicentis imperitiam, vel componendi affectationem, studiosè omnique diligentia in oratione soluta cauendum est, ne sententiam à notiore aliquo Carminis genere vel inchoemus, vel finiamus.

Quæ sunt Clausulæ inconcinnae?

Non claudunt bene orationem	}	Duo Pyrrichij.
		Iambus & Pyrrichius.
		Dijambus.
		Anapæstus & Spondeus.
	}	Tribrachys & molossus.

Non claudunt bene orationem	}	Duo Dactyli: Qui finis est versus Aesclepiadei: vt, Scribere carmina.
		Dactylus & Spondeus. Qui hexametri versus finis est: vt, Scribere versus.
		Anapæstus etiam parum gratus.
	}	Plures syllabæ breues.

Sed quæ cura ac diligentia, queat tam multa in oratione obseruare?

Quod ad Numeros attinet, hoc certè fatendum est, in tenui seu humili dicendi genere, quo ferè constant Epistolæ nostræ familiares, numeros minus obseruari, vt in quibus hoc satis esse dicimus, si non vagetur ac dissoluta sit oratio.

Plurimum tamen ad elocutionem parandum contulerit, si puer in otio Epistolas conscribens, ad hæc sæpè respiciat: Efficiet hoc enim, cum diligenti in auctoribus obseruatione, tum multa scribens

scribendi exercitatione, ut ipse tandem similia non pauca, vel ex tempore fundat.

Nec est certè facultas hæc aptè atq; numerosè dicendi tanti laboris, quanti videtur: Neq; etiam ideo tractantur hæc à summis viris, ut oratio, quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus, ac perpendendis syllabis consenscat, satis enim in hoc oratorem formabit multa scribendi exercitatio, ut ex tempore etiam aptè numerosèq; dicat.

Etenim ut musici accuratè primò artis suæ præscripta & formulas obseruant: at vbi vsus accessit, sine cogitatione etiam eadem illa incredibili celeritate efficiunt: Sic vbi orator hoc modo scribere initio consueuerit, sine vlllo labore postea similiter scribet ac dicet.

DE TRIPLICI DICENDI
Genere, seu caractere.

*De dicendi genere mentionem modò iniecisti,
age igitur, Quid est dicendi genus, Et
quot eius sunt formæ?*

DICENDI GENVS, est apta rebus & personis orationis forma siue figura: Græcè Character dicitur, & interdum Elocutionis Idea.

Sunt autem tria dicendi genera.

Humile siue } Summissum, Acutum, Attenuatum
 } Gracile, Tenue, Subtile.
 } Pressum, Eucleatum, Atticum.

Mediocre siue } Medium, Intermedium.
 } Interiectum, Modicum.
 } Temperatum, Aequabile.

D 4

Sublie



DE EPISTOLARI

Sublime siue } Graue, Grande, Grandiloquum.
 } Ornatum, Copiosum, Amplum
 } Acre, Vehemens, Ardens,
Humili tribuerunt venustatem, ac subtilitatem.
Mediocris suauitatem ac mediocritatem.
Sublimi verò vim & Amplitudinem.

Primo res humiles, vt Plebeæ & Comicæ, des-
cribuntur.

Secundo, nec prorsus humiles, nec sublimes.

Tertio res graues ac sublimes, vt Heroicæ &
Tragicæ.

Et cum tria sint Oratoris officia, Docere, De-
lectare, & mouere. Subtile in probando, Medio-
cre in delectando: Vehemens in flectendo mo-
uendoq; versatur.

Quod est humile dicendi Genus?

HVMILE DICENDI GENVS dicitur
quod puro, dilucido ac populari sermone conten-
tum est, vt quasi humi serpere videatur.

Amat hoc genus Verborum proprietatem:
Tropos tamen & familiariter loquendi Schemata
non omnino secludit, sed parcius ac verecundiùs
adhibet, vt quod proximè accedat ad quotidiana-
num & familiarem doctorum hominum sermo-
nem.

Amplificationes igitur & magnificum orati-
onis cultum & ornatum non admittit, Translati-
ones quanquam crebriores esse poterunt, Non
tam crebræ tamen, quàm in genere amplissimo.

Forma etiam orationis in hoc genere A vincu-
lis Numerorum soluta fere est & libera, Non ta-
men vaga, vt ingredi liberè, non vt licenter videat-
tur

tur errare. Negligitur quoque fere in hoc genere diligentior compositio & concinnitas. Quæ tamen sine nostra cura, interdum sese nobis offerunt.

HOC GENERE ORATIONIS scriptæ sunt multæ Ciceronis Epistolæ, cultæ quidem & elegantes: sed cæteris magis familiares, ut quas ad uxorem, ad Atticum & ad multum occupatos, quotidiano ferè sermone conscripsit.

Et in hoc genere, nisi res grauior fortassis urgeat, Epistolæ magnæ ex parte à nobis scribentur.

HOC ITEM GENERE CONSTANT rerum gestarum narrationes: ut Iulij Cæsaris Commentarij.

Ciceronis { Dialogi, Partitiones oratoriæ. De arte Rhetorica, Topica.
Disputationes philosophicæ.
Orationes pro Cæcinnâ, Quinctio, Roscio Comædo.

Huc pertinent & multa Poëmata: ut, { Terentij ac Plauti Comædiæ.
Bucolica Virgilij.
Odæ, quæ canunt risus, lusus, &c.
Epigrammata de rebus minutis.
Multa Lyrica & Elegiaca.
Siluæ quædam & Satyræ magna ex parte.

Quod est Genus dicendi Mediocre?

MEDIOCRE DICENDI EST, quod inter humile genus & sublime medium, utriusque se attemperat, ut quod humili vberius, robustius ac sublimius fit, & sublimi humiliter atque summissius.

Huic omnia dicendi ornamenta, conueniunt,



DE EPISTOLARI

unt, Sunt in eo mediocres sententiæ, verba deco-
ra, Schemata illustria, Compositio plena, omnia
quæ supra quotidianum sermonis vsum adsur-
gentia.

Habetquæ hoc genus plurimum suauitatis,
quæ partim Numeris, partim Compositione siue
Iunctura, partim verborum & Sententiarum ora-
namentis comparatur.

SVNT IN HOC GENERE non nullæ
Ciceronis Epistolæ, quæ videlicet de rebus graui-
bus ultra speciem tenuitatis & tritam loquendi
rationem moderatis figuris adsurgunt. Quæ igitur
Epistolæ materiam habebunt grauiorem, in
hoc quoq; genere scribi poterunt.

Ad hoc etiam genus Historiæ nonnullæ per-
tinent: vt, T. Lij, Plinij de re naturali. Item En-
comia, Panegyrici & Doctorum hominum decla-
mationes.

Item Cice- ronis	}	Officiorum libri.
		Nonnulli Philosophici.
		Quæstiones Tusculanæ.
		Liber de finibus & Vterq; Orator.
		Oratio- nes pro

Poëmata :	}	Epigrammata digniora.
		Odæ argutiores.
		Satyrae quædam grauiiores.
		Agricultura Virgilij.
		Lucretius de arte Physica.

Quod est genus Sublime?

GENVS SVBLIME DICITVR, quod
con

constat verborū & sententiarum magna atq; or-
nata constructione & plenissima compositione.
Est enim hoc genus crebris figuris adornatum, &
ad permouendos animos instructum paratumq;.

Sunt in eo verba sublimia, graua, & copio-
sa, figuræ acres, Amplificationes crebræ, Affectus
graues & vehementes, Dictio atrox & concitata,
Actio tragica, Numerus vehemens ac minus sua-
uis, Incisa ac Membra plurima, Ambitus pauci,
sed sonantes, Multus litterarum hiatus, Duraq;
syllabarum coagmentatio.

Habet hoc dicendi genus, vim profectò lon-
gè maximam, modò perstringit, modò irrepit in
sensus, inferit nouas opiniones, euellit infitas,
Amplificationibus extollit orationem & vi super-
lationum erigit, Iram & misericordiam inspirat,
& per omnes affectus tractatur.

Sublimis hæc Est Tragedijs.
Locutio est in Aeneide Virgiliana fere.

In Orationi- bus Ciceronis	}	Philippicis nonnullis.
		Forensibus, vt pro Milone, pro
		Rabirio.
		In Verrem.
		In Pisonem.
		Prima in Catilinam.
	[Secunda in Antonium.

Sed obseruandum nullam ferè esse Ciceronis
orationem, in qua non omnia hæc dicendi genera
interdum reperiantur: vt,
In Exordijs fere Mediocre.
In Narrationibus Attenuatum.
In Confirmatione & Confutatione plerunq;
Subtile, sæpè etiam Graue.

In Pere

DE EPISTOLARI

In Peroratione vehemens ad excitandas grauiiores animi perturbationes.

Nunc age, si placet, Paucis repete, Quae dicendi figura Epistolis maximè congruat.

EPISITOLAE licet in humili genere scribantur saepius, tamen pro rerum & personarum qualitate, aliud atq; aliud genus aliquando recipiunt: vt ea Epistola omnium optima iudicetur, quae argumento, loco, tempori, & personis sit quam maximè accommodata, vt quae scilicet de amplissimis rebus agens, sit grauissima: De mediocribus, concinna: De humilibus elegans & faceti, In iocis acumine delectet ac lepore, in encomijs apparatu.

In exhortando vehemens sit ac animosa, In consolando blanda sit & amica, In suadendo grauis & sententiosa, In Narrando lucida & graphica, in petendo verecunda, In Commendando officiosa, In rebus secundis gratulabunda, In afflictis serua.

Denique quae Polypi in morem ad quemuis argumenti & circumstantiarum habitum se attemperet. Aptè enim dicere, vt inquit Cicero, est in dicendo decorum obseruare, vt rebus & personis apta sit & congruens oratio: vnde Epistola, qua tanquam sermonis nostri Mercurio quodam utimur, nec eadem de re quouis tempore, nec apud quosuis loquetur.

Alia specie sese offeret senibus, alia iuuenibus, alia tetricis ac seueris, alia vero ijs qui festiuore sunt ingenio, alia aulicis, alia philosophicis, Alia familiaribus, alia ignotis, alia vacuis,
alia

alia negotiosis, Alia fidis sodalibus, alia fictis amicis, ac parùm benè volentibus.

Sed interim & illud spectabit, non solum ad quem, aut quibus de rebus, sed etiam vnde veniat: Proinde Mercurium quendam, vt dixi, agat, & se pro re præsentis in omnem transfiguret habitum.

Sed in tanta tamen rerum varietate, hunc semper tenorem obtinebit, vt sit Latina, Perspicua, & Ornata, à quibus si recessum non erit, nullum est præterea delictum in Epistola, cui non sit parata venia.

Erit loquacior, scripta dicetur tum auido, tum otioso: Elaboratior erit & lucernam olens, scripta est erudito. Habebit artificium, talem decebat mittere artifici: Carebit artificio, scripta putabitur ei, cui placebat simplicitas, aut imperitiori.

Laconismum habebit, occupatus scripsit occupato: fucator erit, aut picturatio, scripta dicetur curioso: Priscis verbis, antiquario: Blandior, amico: Licentior, familiari: Asperior, improbo: Adulantior, ambitioso.

Denique quidquid alibi non vacasset crimine, heic vel à re, vel à persona scribentis, vel à moribus, fortunaq; & ætate eius cui scribitur, defensionem inueniet. Sed de his plus satis: perge nunc ad alia.

De Figuris igitur nunc dicendum.

FIGURAE, quibus ceu luminibus quibusdam oratio ipsa illustratur, in Tropos & Schemata diuiduntur, Quæ ab auctore ad Herennium, & Quin-

DE EPISTOLARY

Quintiliano, Tum etiam in arte Rhetorica Cornelij Valerij & Cypriani Soarij ita doctè & luculenter sunt explicatæ, vt si rursus de iisdem hic differamus, Soli ipsi tenebras illaturi fortassis videamur.

Adhæc in superioribus opinione longius progressi sumus, & restant alia non omittenda, vt his diutius non liceat nobis immorari: Quamobrem vbi ea, quæ hæcenus de orationis Virtutibus ac Vitijs dicta sunt in summam quandam digesserimus, quæ cepimus, ad alia progrediemur.

Quæ igitur superiorum præceptionum summa est?

Caput ac initium omnis Elocutionis est, vt sit oratio Latina, pura, ac emendata, sine qua virtute nausæ est, quidquid ornatus orationi adhibetur.

PROXIMA curâ sit, ne sententia inusitato aliquo genere sermonis aut improprijs peregrinisq; vocabulis inuoluatur.

TER TIO, Ne inter se verba obscure atq; ambigüe implicentur, seu, ne traiecta verborum constructio molestiam, vel obscuritatem pariat.

QVARTO, vt in iunctura litterarum cuius tetur vocalium earundem frequens concursus, qui orationem hiulcam seu hiantem efficit: vt Herculeæ arma Aeneæ allata sunt.

QVINTO, vt in eadem iunctura caueatur multarum Consonantium creber conflictus, qui reddit orationem difficilem pronüciatu: vt, Consul dignitas tumultum ciuitatis repressit.

SEXTO, Vitanda est frequens eiusdem litteræ repetitio: vt O Tite tute Tati tibi tanta tyrannē tulisti.

Huc

Huc pertinet cum oratio frequentia litteræ M. fit obtusa, litteræ R. fit dura vel aspera, Litteræ S. sibilans vel blesâ vt si dicas, Sofia in solario soleas suebat suas.

SEPTIMO, Vitari etiam debet frequens sine vilo decore eiusdem dictionis repetitio: vt, Si homo cogitaret, quanti hominis vita est, nullus homo hominis causâ, homines occideret.

OCTAVO, vt vitentur crebra similiter cadentia vt, Quis in conspectu tantorum doctorum & sapientissimorum virorum audeat verba iacere? Quod vitium Lectori non minus, quàm obscuritas fastidium affert, & scriptoris ostendit imperitiam.

NONO, Ne Periodos tam longas circumducamus, vt eas Lector, nec spiritu transigere, nec animo concipere, nec memoria tenere queat: Commendantur enim Periodi, quæ nec iusto longiores sunt, nec citiùs æquo terminantur.

DECIMO, Vitari debet verborum contextus, qui in Numerum poeticum desinit. vt, da mihi animas, cætera tolle tibi.

EODEM fere pertinet, cum à numero Poetico sententiam exordimur: vt, Da mihi quid quid habes.

Undecimò, Ne pes idem frequentius iteretur: Oblectat. n. in his varietas, quæ efficit, ne in affectationis vitium incidamus, aut arguamur inscitiae.

DVODECIMO, Cauendum ne ad exemplendum Numerum, orationi addantur verba quædam inania seu otiosa Numerorum complementa, cuiusmodi sunt: Ipse, ipsa, ipsum, ille, quidem, Certè, Sanè, Profectò, Herclè quibus indocti plerique & elocutionis steriles, orationis rimas fathiscentes implere consueuerunt.

SVPE

DE EPISTOLARI

SVPERIORIBVS licebit addere, ne quis eam affectet orationem, cui par non sit. Quod vitium dicitur Cacozelia seu mala & indecora imitatio.

Quid in verborum structura & ordine est obseruandum?

Sunt qui tradant Regulas aliquot in venusta orationis structura ac compositione à pueris obseruandas, quas non inutiles omnino initiò iudicauerim: Nam hac in parte dupliciter à pueris peccari consuevit.

Nonnulli enim immodica compositionis cura, naturalem illum candorem & Romanę lingue simplicitatem planè vitiant, dum ineptè, & indecorè verba transponunt & de loco in locum transiunt, nec cur, aut quomodo illud faciendum rationem norunt, & ridiculè eam artem, cuius sunt expertes, imitantur, quod fit sæpenumerò, vt verborum structuram vel asperam & insuauem reddant, vel certè sententiam ita obscurent, vt vix Sibylla aliqua queat intelligere.

Alij ita inertes sunt & in componendo negligentes, vt contenti Grammaticæ canones, & naturalem verborum ordinem obseruasse, humi quasi repere, ne dicam serpere videantur, sequunturquè scribendi genus inordinatum, quod vt arte, sic omni decore & venustate prorsus caret. Artem enim semper decor aliquis & venustas comitatur: qua quidem orationis venustate & eleganti verborum compositione, non minùs aures oblectantur, atque optimis picturis oculi. Quin etiam in artificiosa illa & benè digesta verborum

borum constructione, non modò iucunditas & vis maior inest, sed etiam stupor & admiratio.

Profer iam Canones illos, Qui de oratoria verborum collocatione tradi consueverunt?

I. CVM IN ORATIONE Suppositum, Verbum & Obliquus ponuntur, hoc ordine frequenter collocantur.

Obliquus in principio, Suppositum in medio, & verbum in fine ponitur: Vt quod Grammaticus dicit, Cæsar occupauit munitissimam ciuitatem hostium, Orator sic dixerit, Munitissimam hostium ciuitatem Cæsar occupauit.

EXCEPTIO. Obliquus nominis negatiui frequenter in fine collocatur: Cæsare fortunatiorem legimus neminem.

II. INTER ADIECTIVVM, quod uenuste præcedit, & Substantiuum, sæpè aliquid interponitur.

1. Genitiuus, qui à Substantiuo regitur. Magna Cæsaris seueritudo.

2. Alius casus. Magnum hostibus terrorem incussit.

3. Verbum. Cæsar ab ipsis venit Gadibus.

4. Aduerbium. Ingens profectò labor.

5. Coniunctio. Hostes suæ quidem maiestati rebelles Cæsar armis subegit.

6. Præpositio cum suo casu. Cic. Si de tua in me voluntate dubitarem, multis à te uerbis peterem &c.

III. VERBUM frequenter in fine ponitur, quod sit in eo, auctore Fabio, sæpè uehemens aliquis sensus, qui in clausula auditori infigitur, in medio frequenter latet & obscuratur.

E

Si ræ

DE EPISTOLARI

Si tamen hoc modo aspera fiat compositio, cedat hæc ratio orationis decori. Nam quemadmodum in exstructione murorum vident oculi, quo loco quodque saxum rude melius aptetur: sic & in oratione digerenda iudicant aures, qui cuique verborum sit assignandus ordo. Si enim dixerò, Patrem amavi, reclamatur aurium iudicium, Si verò amavi patrem, vel natura monente suavius est ac mollius. De his vide Quintil. lib. 4. cap. 1. & lib. 9. cap. 4.

IIII. ADVERBIVM & Præpositio cum suo casu, venustius verbum, cui iunguntur, antecedunt: vt Hic adolescens diligentissimè semper studuit. Cic. Tamen à malitia non discedis.

V. VNI Substantiuo duo Epitheta, Et vni Epitheto duo Substantiua pulchrè subiunguntur per Tùm vel Et geminatum: Cæsar vir tum fortis, tum prudens. Cic. In hoc erit summa & gratia, & gloria.

Quid? estne hisce præceptis sic perpetuò insistendum, vt nunquam aliter scribere, vel loqui liceat?

Nequaquam. Sed hæc eò spectant, vt in tyronum principio his tantisper adsuescas, donec ex doctissimorum obseruatione potiora ipse apprehenderis. Nam & aurium iudicio opus est, vt suum cuique verbo locum in oratione possis assignare.

Quamobrem tutissimum est, vt quo tempore tyrones adhuc litterarum, Latine, pure, & emendatè loqui contendunt, nec dum certam habent locorum, quibus verba constituent, rationem, naturalem sequantur verborum ordinem. Via enim publico

publica, ignorantia semitam, tutior est, & certa incertis sunt potiora.

Superiores igitur regulæ eò potissimum conducunt, ut pueri hisce de rebus admoniti, in optimis quibusque Scriptoribus adsuescant paulatim obseruare, quid in verborum traiectione decorum sit ac venustum, & contra, quid indecorum.

Sed de his nunc satis superque.

*Nunc ostendendum, quibus scribendi facultas
facillimè queat comparari.*

His quatuor nimirum :	}	Ingenio,
		Arte,
		Exercitatione,
		Imitatione.

I. NATURA siue ingenium magno ardenti studio incitatum, ad scribendum dicendumque vim affert longè maximam, sine qua nihil ars aut præcepta magnoperè prodesse queant. Quæ enim naturæ sunt dona, & vnà cum ipso nascuntur homine, ab arte ipsa haberi non possunt, ut vocis sonus, latera, vires, figura totius oris & corporis, quæ tamen ab ea limari, acui, & corrigi possunt, ut adolescentes, si quid fortè naturale non habeant, propterea dicendi scribendi que studium relinquere non debeant. Magni enim tacere debent illam ipsam, quamcunque habuerint mediocritatem.

II. OPVS est deinde certis præceptis, & arte aliqua, quæ nobis rectè scribendi viam commensuret, & naturam ipsam, si non sit optima, adiuuet, aut quoad eius fieri potest, corrigat: Tum

DE EPISTOLARI

etiam vel de eloquentium virorum scriptis, quæ nobis proponimus ad imitandum, facilius possimus iudicare.

Sed obseruatione hic opus est, vt in nostris scilicet lucubrationibus sic artem celemus, vt eius nihil, aut quàm minimum epistola præ se ferat. Simpliciter enim manifesta ars, suspectum facit: Atq; vt ille erit semper probabilior populo, qui nihil didicisse putabitur: Ita illa demum optima erit epistola, cuius compositio minimè affectata, artificiosaq; videbitur, sed se naturæ quàm maximè accommodat

Sed hæc ipsa tamen ab ingenijs maturioribus & arte ipsa satis excultis potissimum requirimus. Nam in adolescentibus tolerari adhuc debent, ac dissimulari apertior artis affectatio, translatio num licentia, compositio curiosius paulò numerosa, dictiones, clausulæ, vel sententiæ ex auctoribus subiectæ, & huiusmodi plura alia, quæ in ipsis laudem merentur, & commendant eorum diligentiam.

Sed adultioribus vertuntur hæc vitio & reprehensionem, nisi fortasse in epistolis, quæ de reipub. negotijs conscribuntur, vel mittuntur ad Reges ac Principes, quas aliquantò comtiores esse decet & grauiores, vt character argumento, quod tractatur, & ipsi personæ, cui scribitur, accommodetur & congruat.

III. AD PARANDAM eleganter et expeditè scribendi facultatem, non minimum confert adiumentum, frequens stylus, seu multa ac diligens in scribendo exercitatio, quæ artis ipsius comes est & opulentiam parit & sermonis copiam, & mirabilem adfert scribendi dicendiq; promptitudinem

nemo

nem, ut sibi non immerito primas in hac facultate vendicet.

Nec studium quantumvis vehemens ac ardens, ad veram ac solidam eruditionem parandam multum contulerit, nisi ex arte fiat usus, & in opus, ut Agricolaë verbis utar, verba vertantur. Nec vlla res efficacius nos facere docet, quam ut sapè faciamus, quod illo quoque vulgi proverbio comprobatur: Fabricando fabri sunt.

Quamobrem qui scientiarum præcepta, & diligens imitationis studium cum assiduo exercitiatione coniunxerit, is vetustam illam, & perfectam scribendi rationem optimè consequetur.

Porro de multiplici studiorum Exercitatione, eiusque summa utilitate, nos pluribus agemus in libro nostro de Ratione instituendi rectè iuventutem classe v. iij. iij. & duabus reliquis.

III. AC POSTREMO ad superiora accedat oportet Scriptoris alicuius docti, quique præ cæteris in scribendo excellat, sedula ac diligens in scribendo imitatio, cuius quo quisque similior fuerit, hoc erit in scribendo perfectior.

Iam cum imitatio ab optimo quoque peti debeat, & inter optimos M. Tullium Ciceronem in oratione soluta ac libera lectissimum esse & præstantissimum fateantur omnes, tum illi, qui felicissima Ciceronis ætate floruerunt, qua Latina lingua apud Romanos perfecta fuit. Et ipsius Epistolæ ea ornentur simplicitate, ut cum sint omnium qui unquam usquam floruerunt longè excultissimæ, sine omni tamen cultu conscriptæ videantur, faciles nimirum, illaboratæ, & verbis, ut ipse ad Papirium scribit, textæ quotidianis, ut

E 3 quem

DE EPISTOLARY

quem cum eo conferamus, habeamus profus ne-
minem ad huius profectò imitationem, omnes
ingenij sui neruos diligenter ac nauiter intendet,
huius orationem effinget, huius virtutes in elo-
quendo sibi comparabit, hunc non vorabit mo-
dò, sed etiam concoquet, quicumq; laudabilem at-
liquam Compositionis gratiam assecuturum se
speret. De Cicerone etenim est grauisimum hoc
Quintilianij elogium:

Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit.

*Sed itanè Ciceronem dicis imitandum, vt Plinium,
Philelphum, Io. Picum, Politianum, & recen-
tiores omnes fastidias?*

Sanè, vt ex fontibus ipsis purissima, quod di-
ci consuevit, hauritur aqua: Ita stultissimum est,
vel ipso etiam auctore Plinio, sibi ad æmulandum
non optima quæq; proponere.

Sed tamen prodest aliquid, illos etiam legere
epistolographos, qui magno studio Ciceronem
imitati sunt: Non quod illos tibi auctores esse ve-
lim: sed quod ex ijs rationem quandam imitati-
onis liceat cognoscere.

Illos tamen præcipuè legi suaserim, qui se ro-
tos ad Ciceronis styllum exprimendum contule-
runt: Cuiusmodi sunt illi, qui nuper è viuis ex-
cesserūt, Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, Chri-
stophorus Longolius, viri omni liberali doctrina
politissimi, & præclari Ciceronis æmulatores:
Quibus adde Paulum Manutium, Aldi filium præ-
stanti eruditione & singulari eloquentia virum,
totaque Italia, Gallia & Germania celebrem. Ex
quorum epistolarum libris selectiores aliquod in
vsum

vsu Scholarum digestimus nuper in tres libellos per Ioannem Bellerum euulgatas.

De diuersis epistolarum generibus.

HACTENVS copiosè tu quidem & dilucidè de omni Elocutionis parte iam disseruisti : Sed prius quàm sermonem præsentem concludamus, illud te oro, vt extremi velut actus loco addas hic etiam, quo in genere caussarum versentur Epistolæ, Et num sit earum genus duntaxat vnum, an plura, itidem vt caussarum.

AGE FIAT, tametsi hæc prudens ferme præterieram, quòd omnis illa Caussarum tractatio ad ipsos spectet Rhetores, postuletq; & ætatem, quam tua est istæc, maturiorem, & longiorem paulò in his studijs progressum : Nec ad nostram, qui solum Isagogicon paramus, institutionem magnoperè pertineat.

HIS ADDE, quòd bona pars epistolarum, in nullo omninò Caussarum, genere versetur, vt cum res gestæ narrantur, Cum negotia exponuntur, Cum alios docemus, Cum iocamur, Cum varij affectus describuntur.

Sed quando te tam ardenti harum rerum studio video incitatum, non grauabor tuæ petitioni hæctenus acquiescere, vt contentus paucis tabellis, cetera vt dixi, discas in scholis Rhetorum.

Epistolarum genera { Familiare & illaboratum, quo videlicet familiares inter se vtuntur liberius, nullo vel tenui adhibito orationis paratu.

E 4 sunt



DE EPISTOLARI

sunt
duo: } Artificiale & Elaboratum, ad Rhetorum præceptiones accommodatur, Et est triplex. } DEMONSTRATIVUM, quo laudamus vel vituperamus. } DELIBERATIVUM, quo suademus, vel dissuademus. } IUDICIALE, quo accusamus vel defendimus.

Ad familiaris generis spectant Epistolæ } Nunciatoræ, Lamentatoræ, Mandatoræ, Conciliatoræ, Gratiarum Disputatoræ, actoræ, Officiosæ, Iocosæ, Gratulatoræ, Mistæ.

Annotationes de Epistolis argumenti Misti.

In Mistis, seu confusaneis Epistolis, quæ res varias complectuntur, non parùm lucis adferetur legenti, si seorsum publica, seorsum priuata, Seorsum nostra, seorsum aliena, Seorsum gesta, seorsum gerenda describantur, eaque aptis connectendi particulis & transiunculis inter se rectè connectantur, ne velut scopæ dissolutæ turpiter diffluant.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

Demonstratiui generis sunt } Personæ: vt } Daud. } Diui, aut } S. Paulus. } homines. } Rex Hispaniarum. } Facta: vt Diuorum. } uorum, aut } Pugna Daudis } Epist.

Epistolæ, quibus laudantur, vel vituperantur.	} hominum res gestæ.	} cum Goliath. Sollicitudo B. Pauli pro omnibus Ecclesiis. Extirpatio hæreseon.

DE LAVDE PERSONARVM.

Personæ laudantur à dotibus	} Fortunæ: vt sunt	} Nobilitas, Opes, Honores, Dignitas, Status, Officium, Potentia, Gratia, Fama, celebris patria, Amicitia, Soboles, Nepotes, Familia, &c. In quibus vsus spectatur, non possessio.	} Qui hæc habuerit, laudabitur quòd bene illis fit vsus. Si non habuerit, quòd sapienter caruerit. Si amiserit, quòd moderate tulerit.

DE EPISTOLARI

Animi vt	}	vsus non possessio
		laudem meretur.
		Indoles, Docilitas, Ingenij celeritas,
		Memoriae felicitas, Eruditio, Disci-
		plina &c. Quae & habuisse, & cum
		dignitate semper exercuisse, in lau-
		de est.
		Virtutes
		omnes :
		{ Prudentia,
		{ Iusticia,
		{ Fortitudo,
		{ Temperantia.

Virtutis Diuisio.

Virtus	}	Prudentia	{ Rectum consilium.
			{ Rectum iudicium,
			{ Debita deliberatio,
		Iusticia	{ Obedientia,
			{ Pietas,
			{ Gratitude.
		Fortitudo	{ Magnanimitas,
			{ Longanimitas.
			{ Patientia.
		Temperantia	{ Sobrietas,
			{ Castitas,
			{ Modestia.

Laus à Virtute.

Prima laudatio & potissima à Virtutis fonte proficisci debet, sine qua nihil laudari potest, Quae enim natura dat vel fortuna, propriam in se laudem non habent, optandaque magis sunt, quam laudanda: Sed cum Virtus in earum rerum vsu ac moderatione maximè spectetur, haec etiam in laudationibus tractanda sunt.

Vt

Vt summa laus est, non extulisse se in potestate Non fuisse insolentem in pecunia : Non se prætulisse alijs propter abundantiam fortunæ. Vt opes & copiæ, non superbix videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem ac materiam dedisse.

Porro de laude à virtute ducta, permulta Socrus lib. 1. cap. 45. 46. 47. Rhetoricæ. Nec minus eleganter de eadem Lippus Brandolinus Lib. II. cap. 9. de Ratione scribendi.

De laude Factorum.

Facta laudatur ab	} Honestate laudabili, Vtili & commo, Ne effario lucundo, Pio, lusto, Glorioso.	} quod est	} Corporis Animi Fortunæ	} priuatum vel publicum.

HONESTAS tractatur ab Antiquitate, Miraculo, & Inuentoribus.

UTILITAS declaratur, cum ostendimus per Circumstantias, Quibus, Quando, Vbi Quomodo, factum aliquod sit vtile.

FACULTAS est sine magno, aut sine vilo labore, sumtu, molestia, longoque tempore potestas perficiendi, quod suscipitur. Vide Cic. in sine lib. II. de Inuent. de Expeten.

Muramur autem locos superiores ex genere Deliberatiuo, Perinde enim facta laudamus, vt facienda suademus.

Vituperantur verò facta ex locis contrarijs vt ab inhonesto seu turpi, Inutili, Iniusto, &c.

DE



DE LAVDE RERVVM.

DE EPISTOLARI

Cor- poreæ	Naturales, seu à natura pro- creatæ.	Plantæ, Meralla, Gem- mæ, Regiones, Montes, Fluuij, Agri, Horti, &c.	Lau- dan- tur.	Vel à natura, cum earum species & proprietates commemora- mus.

EXEMPLA rerum Artificialium petantur ex opusculo Barlandi de Ciuitatibus inferioris Germaniæ.

Res	Cor- poris exper- tes	Artes mecha- nicæ,	Sculptura, pictura, Agricultura,	Laudantur ab antiquitate & inuentoribus & multa earum vtilitate.
		Scientiæ.	Rhetorica, Philosophia, Iurisprudentia,	
		Virtutes.	Iusticia, Fortitudo, Prudentia, Temperantia,	A dignitate & vtilitate, quam humano gene- ri conferunt.

Plantæ

PLANTAE, METALLA, GEMMAE,
& cætera id genus, laudantur tum à specie ipsa,
forma, colore, & nitore, tum ab usu, qui inde per-
cipitur. Ut ex auro emendi vendendiq; : Ex ferro,
belli gerendi : Ex plantis, vescendi. Ex Gemmis,
cætera exornandi: tum verò ex vi quadam & pro-
prietate naturæ, quæ his in rebus multiplex ad-
mirandaq; insit.

IN LOCIS CONSIDERATUR, quot
passus in longitudine, latitudine, & in ambitu
contineant. Tum vel in primis Cælum clemens
an asperum, Salubre an pestilens, Calidum an
frigidum. Pluuium an serenum.

DEINDE SOLVM, fecundum an sterile,
Omnium rerum ferax an aliquarum, Vulgarium
an earum, quæ paucis in locis nascuntur, Vtilium
quoq; an noxiarum.

SITVS præterea loci consideratur, Monta-
nus an planus, Editus an humilis, Nemorosus an
secus, Maritimus an mediterraneus, portuosus an
importuosus.

CVI præterea plagæ, aut regioni cæli expo-
situs, quo Sole illustretur, Tum verò qui montes,
quæ siluæ, quæ flumina, qui lacus, qui fontes in eo
sint, consideratur.

POSTREMO quæ vrbes, emporia, oppida, in
ea regione sint condita, & à quibus habitata.

VSVS spectatur tum ex his, quæ diætæ sunt,
partibus : tum ex commercijs, tum ex commodis
vitæ traducendæ, imperij propagandi, rerumque
gerendarum occasionibus.

VOLVPTAS postremo, & delectatio com-
memoratur aucupandi, venandi, piscandi, tumq;
non vno modo animum relaxandi.

Alia

DE LAVDE PEPVM



DE EPISTOLARI

Alia ratio laudandi regiones.

REGIONES laudantur, A Regibus, Ducibus, & Gubernatoribus, A numero, virtute & fortitudine Nobilium. A Civium humanitate & studijs, A Religione, pace & securitate. Ab amplitudine, Ab urbium frequentia, magnificentia & celebritate. Ab Aeris clementia & salubritate, A fertilitate annonæ, & variarum rerum copioso proventu. A tuto transitu, A fluminibus, & id genus alijs infinitis.

Vrbes.

EARVM verò rerum, quæ hominum industria comparantur, Vrbes præcipuè sunt. Quæ laudantur tum ab his partibus, quæ locis attributæ sunt, tum à specie, tum à figura, ab artificiosis munitionibus, ut fossis, muris, turribus. Ab Aedificijs tum publicis tum privatis, ut vijs, templis, aquæductibus, domibus, eorumq; ædificiorum dispositione, atq; ordine, Tum verò, ab antiquitate, conditoribus, alumnis, rebus gestis, imperio, legibus, institutis, exemplis, inventis, artibus, quæ ibi inventæ primùm sunt ac floruerunt.

Alia ratio laudandi Vrbes.

VRBES laudantur ubi antiquitate & origine, A Conditoribus, Ab ordinatissima & benè instructa Repub. A Senatu splendidissimo, Magistratu vigilantissimo, A populi frequentia, & bellicositate, A civium concordia & urbanitate.

Ab ædificiorum tum privatorum, tum publicorum magnificentia, A vicorum latitudine & mundicie, A rerum variarum tum propriarum tum exoticarum copia, A templis, A monasterijs,

Villis

Villis, Artificiofis munitiõibus, natura vel arte obvallatis, Ab aeris Salubritate & loci amœnitate, A fitu vel positione, A vijs, Aquæductibus, A religione & institutis, Ab artibus ibi inuentis, aut florentibus, A varijs studijs, alijsquẽ confimilibus.

Ædificia.

AEDIFICIA laudantur à magnitudine & amplitudine, Situ, Area, Figura, Amœno prospectu, Primo ingressu, vestibulo, Atrio, Cubiculis, Penetralibus, Triclinijs, Sculptura, Pictura, Materia, Opere, Et postremò à commoditate & vsu: Nam vt in quibusdam dignitas & quasi maiestas spectatur, vt in templis: Ita in alijs spectatur utilitas, vt in Aquæductu, &c.

CETERAE vero res, quæ artificio constant, partim à materia, partim ab artificio atque arte, partim à forma, partim ab vsu, partim à raritate, & precio, partim à possessoribus & dominis commendantur.

Agri.

AGRI commendantur à fertilitate & frugum copia, & qualitate, à facili cultu, Ab arborum plantarumq; omnium, & quæ in ijs nascuntur amœnitate, A pabulo latissimo. A feris & aucupio, A cultoribus.

Flumina.

FLUMINA laudantur ab amplitudine, Cursum Aquæ colore & salubritate, Piscium & nauigiorum genere, ac forma, & ab alijs, quæ citra laborem studiosa iuuentus sibi coaceruabit, vt vnde nascantur, vnde augeantur, quæ præterfluant, quod influant, quos sinus faciant, quas insulas, quos agros, quæ nemora irrigent.

Huc

DE EPISTOLARI

HVC PERTINENT descriptiones Animalium, Plantarum, Metallorum, Hortorum, Montium, Fontium, Locorum quorumlibet & temporum. Item Conuiuiorum, Pomparum, Itinerum &c. Quæ quoties per se adhibentur, ad solam ferè delectationem adhibentur. Atq; hætenus ferè de laude rerum corporearum.

INCORPORAÆ autem res, vt Artes aut scientiæ aut Virtutes laudantur ab antiquitate & inuentoribus, Aut à subiecto, & materia, in qua versantur, Aut à dignitate & spectatoribus. Aut ab utilitate, quam humano generi conferunt, cui est nonnunquam adiuncta necessitas. Aut à fine, propter quem inuentæ ab hominibus, cultæq; sunt. Has autem singulas partes explicare, quoniam & immensi operis esset, & ad nostram institutionem non pertinet, in præsentia non est visum.

De genere Deliberatiuo.

Ad genus Deliberatiuum pertinent Epistolæ. {
Suasoriæ,
Dissuasoriæ,
Exhortatoriæ,
Dehortatoriæ,
Monitoriæ,
Peritoriæ,
Commendatoriæ,
Consolatoriæ,

De locis generis Deliberatiui.

{
Honestum,
Vtile,
Possibile.

In Epistola

ELOCUTIONE LIB. II. 42

In Epistolis Suasorijs ijdem ferè sunt loci, qui in laude factu- rum.	Facile, Necessarium, Iucundum, Pium, Iustum, AEquum, Gloriosum, &c.
--	---

HONESTVM hic dicitur, quod vel per se
rectum est, vel pulcrum ac decorum. Item Pietas
in Deum ac Diuos, In patriam, In parentes ac li-
beros, In Præceptores, & eos quorum beneficio
seruati sumus, & deniq; virtutes omnes, Ad hæc
legitimum, AEquitas, Consuetum, &c.

VTILITAS sita est in parandis commodis,
aut depellendis incommodis, vt in diuitijs, hono-
ribus, amicitijs, otio, tranquillitate &c.

FACILE dicitur, quod sine periculo aut
negotio fieri potest.

POSSIBILE consideratur, an, de quo de-
liberatur, possit fieri.

NECESSARIVM dicitur, quod vitari
non potest.

IVCVNDVM, quod animi, corporis, aut
vtriusq; adfert voluptatem.

TVTVM, in tuenda vitæ, aut valetudinis
incolumitate consistit,

IYSTVM est, quo sua cuique tribuitur di-
gnitas.

Obseruandum tamen, quod non in omni E-
pistola huius generis his omnibus vtendum est.

IAM in epistolis Dissuasorijs sunt loci supe-
rioribus contrarij, Inhonestuum, Inutile, Impos-
sibile, Difficile, &c.

IN exhortarijs, quibus vel in rebus incertis ad

F

ala



DE EPISTOLARI

alacritatem incitamus, Vel errantem ad meliorem vitam reducimus, hi sequentes sint loci.

Loci Epistolæ exhortatoriæ.

Laus personæ exhortandæ.

Laus rei ad quam fit adhortatio.

Spes præmiorum de re absoluta.

Metus incommodorum, si res non sortiatur felicem exitum.

Amor, Commiseratio, Expectatio necessariorum.

Odium, AEmulatio, Expectatio aduersariorum.

Exempla vetusta, Aliena & Domestica.

IN Dehortatorijs exempla eorum accumulamus, quibus res feliciter cesserit, Deinde rei turpitudinem, probrum, conuitia, damnum, incommodum, diligenter colligemus.

IN Monitorijs eadem fere vtemur procedendi ratione, qua in Exhortatione, Studendumque plurimum mouendis affectibus.

IN petitorijs loci sunt, Honestum, Vtile, Facile, Possibile, Necessarium.

COMMENDATORIAE sunt, quibus personam vel ingenium commendamus.

CONSOLATORIAE, quibus amicum in rebus aduersis consolamur: quæ cum parum ab Exhortatorijs & Monitorijs differant, non admodum dispari gaudent artificio.

De Genere Iudiciali.

Ad iudiciale genus referuntur Epistolæ	[Accusatoriæ	[Criminatoriæ,
		cum crimen		Expostulatoriæ,
		reprehenditur: vt,		Obiurgatoriæ, Inuectiue.

Defens

Defensoriæ, cum re } Excusatoriæ,
 us se defendit: ut, } Deprecatoriæ.

In hoc genere multum refert rationem	Amplificandi crimen	Verbis, Sententijs, Figuris.
		Loco, Tempore, Persona. Modo, Frequentia.
	Confutandi crimen	Aut totum quod obiectum est negando, fictumque illud & falsum esse docendo.
		Aut redarguendo ea, quæ pro verisimilib. dicta sunt. Dubia pro certis esse posita. Impossibilia. Repugnantia. Absurda dictu. Invidia magis quam iudicio effusa.

Sed quoniam hæc ad Rhetores spectant, finem nunc his imponemus, & reliquum quod est laboris, studiosorum industriæ & diligentia relinque-
 mus.

LIBER III.

QVO CONTINENTVR ELE-
 GANTIORES ALIQVOT EPI-
 stolam rectè exordiendi for-
 mulae,

Collectæ ex ipso M.T. Cicerone: Ad hæc ex Bembo,
 Sadoletto, Longolio, P. Manutio, & nonnullis
 alijs, qui Ciceronem non infeliciter
 sunt imitati.

DE EPISTOLARVM

Exordia cum ad scribendum laceſſimus.

Quod ad te in præſentia ſcribam, nihil eſt, præter vnum.

Vacat audire nouarum rerum aliquid? accipe.

Si deeſt quod rideas N. ſuauiſſime, en tibi argu-
mentum.

Nec erat oportunitas, nec argumentum ad te ſcri-
bendi, niſi quod rogatum te velim, vt &c.

Ego, etſi nihil habeo, quod ad te ſcribam, ſcribo
tamen, mi Lanoni vt tuas eliciam.

Etſi quid ſcriberem non habebam, tamen amico
ad te eunti non potui nihil litterarum dare.

Non dubito, quin mirere, atq; etiam ſtomachere,
quod tecum eadem de re agam ſæpius.

Scire cupio, quid agas, & quàm longum iſtum tua-
um diſceſſum à nobis futurum putes.

Iam diu ignoro quid agas: nihil enim ſcribis, neq;
ego ad te his duobus menſibus ſcripſeram.

Gratulor tibi mi Sadolete, vereq; gratulor, quod
ex Germania ſaluum te ad tuos recepisti.

Optabam iam pridem, vir omnium integerrime,
te meis litteris compellare vt tuas elicerem.

Certior per te fieri cupio, num iam aduenerit Rex
Catholicus, aut quàm mox expectetur adfu-
turus.

Epistolæ argumentum ad te nullum prorsus erat,
niſi id mihi N. noſter ſuis ad me litteris præ-
buiſſet.

Subinde motis aliſ iſtuc aduolaturio mi N. ſed
ſemper aliquid oboritur, quod me hic ruruſ
alliget.

Expectamus omnino non Epistolam à te, ſed in-
gentem litterarum ſarcinam, quæ vel grauet
Aegyptium.

Tu vee

Tu velim ad me quàm sæpissimè, & de tuis rebus
& de meis, & de omni Reip. statu, de quo sum
solicitus, scribas.

Carissime N. si valentibus salutem dicimus in ca-
pite litterarum, multò magis conuenit ægro-
tanti tibi optare salutem.

Noui quod ad te scribam, mi. N. nihil est, & si
quid esset, sciebam te à tuis quotidie certio-
rem fieri solere.

Nihil erat noui, quod ad te scriberem, nisi quod
mihi decretum est, neminem nostris ad te lit-
teris/inanem hinc dimittere.

Etsi nihil noui, quod ad te scriberem, habebam,
tamen cum N. noster proficisceretur, non po-
tui nihil ei litterarum dare.

Copiosissimam ad te epistolam scribere gestiebat
animus, ni & otium deesset, & propediem vos
ipse visere decreuissem.

Quo in statu res nostræ sint, & nunc & aliàs scri-
bemus vberius: diuitijs enim vt non multum
polleo, ita nec egeo quidem multum.

Maiorem in modum te rogo obsecroq; vt post-
hac tantillum otij studijs negotijsq; tuis sus-
furere, quo me nonnunquam litteris tuis
compelles.

Obsecro te mi Carissime N. vt quoniam Dædali
esse non possumus, vt pennarum beneficio
cōueniamus, vt litteris subinde colloquamur.

Non quòd quidquam habeam te dignum ad te
scribo: sed idcirco tantum, vt rescribas, alio-
qui mihi nec caussa scribendi est vlla nec ar-
gumentum.

Quærenti mihi iam diu, quid ad te potissimum
scriberem, non modò certa res nulla, sed ne ge-
nus

DE EPISTOLARVM

nus quidem litterarum vsitatum veniebat in mentem.

Etsi nostratia omnia nuntijs, aut rumore ad vos perferuntur, tamen ea inscribam breui, quæ potissimum te puto ex meis litteris velle cognoscere.

Etsi nihil erat opus epistola, proficiscente istuc N. nostro qui res meas non minus nouit, quam ego ipse, non potui tamen quin te saltem epistolio salutarem.

Tu velim ad me frequenter scribas, etiam vt nihil magnopere sit quod scribas: Quanquam hæc eiusmodi sunt tempora, vt epistolæ argumentum tibi deesse non possit.

Dolui vehementer ac sæpè, N. doctissime, binas meas ad te litteras proximo scriptas biennio: perijisse: perijisse enim duco, quibus nihil adhuc responderis:

Doleo, intermissam esse tam diu inter nos consuetudinem dandi litteras, quæ mihi erat multò iucundissima.

Rogo te, quod quidem vtriusq; nostrum fiat commodo vt ad eam reuertamur.

Nimum iam diu est, ex quo nihil ad te litterarum dedi, cum neq; libentiùs faciam quidquam, quam loquar tecum per litteras: vbi coram non datur: Et tu in intimis sēsibus sis infixus: sed indicabo tibi, quæ me ratio deterruerit.

Etsi nihil habebam hoc tempore scriptione dignum, ad te præsertim, cui publicis curis negotijsq; occupato, non est temerè scribendum quidquid in buccam venerit: Singularis tamen amor in me tuus effecit, vt quiduis potius loquerer, quam omnino tacerem.

Etsi

Etsi statueram nihil ad te litterarum dare, nisi tu mihi epistolæ argumentum ipse præbuiſſes: tamen cum ad N. hominem vtriusq; nostrum studiosissimum scriberem, putavi aliquid etiam ad te litterarum esse dandum.

Non dubito quin tibi odiosæ sint epistolæ quotidianæ, cum præsertim nulla noua de re certiore te faciam: Sed tamen euntibus ad te nostris domesticis, vt nihil ad te dem litterarum, facere non possum.

Pridie quàm has scriberem, iam alium quendam litteris ad te datis oneraueram: verum certius existimaui, si quid fortè fortuna accidisset, alteras per hunc addere, non hîsdem quidem verbis, sed eodem pene argumento.

Etsi constitueram nihil ad te dare litterarum, nisi mei pse vel scripto aliquo prouocasses, vel heic certè aliquid epistola dignum occurrisset, tamen cum istuc N. proficisceretur, homo nostri ita studiosus, vt se sine meis litteris hinc discessurum esse negaret, scripsi has.

Non potui perferre diutiùs desiderium tui, quin sciscitarer ex te per litteras quid ageres rerum ac qui valeres: quod tamen æquius fuerat me cognoscere ex tuis litteris, tuæq; in illis erga me beneuolentiæ habere testimoniũ, nec tamen puto me tibi ex animo effluxisse.

Reuocarem te ad intermissam nostram scribendi consuetudinem, ni metuerem, ne impudenter viderer facere, qui tibi, homini publicis functionibus occupato, negotium adderem: itaq; non postulo, vt tam crebrò mecum per litteras colloquare, quàm aliquando facere es solitus: Interdum tamen rogo te, ne graueris aliquid ad me litteram dare.

DE EPISTOLARVM
Exordia cum alicui respondemus.

Accepi epistolas tuas, aliam alia iucundio-
rem. Accepi litteras tuas binas, ad quas his vnici-
spondeo.

Magno dolore affecerunt me tuæ litteræ, quibus
ad me scribis.

Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga
me amorem recognoui:

Petis Iacobe candidissime, vt tecum animi mei
consilium communicem. Hoc vnum habe.

Tua verò epistola, tantò mihi iucundior fuit,
quantò longior, præsertim cum de N. tota lo-
queretur.

Accepi aliquot epistolas tuas, ex quibus intellexi,
quàm suspensò & sollicito animo scire auer-
res, quid esset noui.

Variè me affecerunt tuæ litteræ: Nam partim læta,
partim tristia continebant: Læta quod te &c.
Triste illud, quod &c.

Etsi iusta & idonea vsus es excusatione intermis-
sionis litterarum tuarum, tamen, ne id sæpi-
us facias, te rogo.

Scripta & obsignata iam Epistola, redditæ mihi
sunt litteræ à te plenæ nouarum rerum, ma-
ximèq; mirabiles.

Vt tribus epistolis tuis postremis, carissime Parisi,
vnica respondeam, hoc est, de vna fidelia pul-
res dea'bem parietes.

Vt primùm otium & tempus scribendi nactus sum,
dixi esse rescribendum eis litteris, quas ego
abs te superioribus diebus accepi binas.

Accepi perbreues tuas litteras, quibus id, quod
scire cupiebam, cognoscere non potui, Cognos-

ni au

ui autem id, quod mihi dubium fuit.

Quamquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cum te re ipsa atque animo scirem esse gratissimum, tamen fuit ea mihi, fatendum est enim, periucunda.

Quod cessationem tuam tam religiosè excusas, facis tu quidem humaniter: sed nihil sanè, ut te mihi purgatum velles, opus erat, qui mihi negligentiae nomine suspectus nunquam fueris.

Tanti sunt mihi litterae tuae, mi Flamini, ut nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere: Tanta rursus tua est humanitas, ut te boni consulturum, quidquid à nobis proficiscitur, existimem.

Etsi multarum rerum curis atque oneribus ita premor, optime N. ut respirare vix possim tamen ut litteris tuis amantissimè scriptis aliquid responderem, abieci omnia, et officium, quod tibi à me debetur, habui antiquissimum.

Binas abs te accepi litteras Mechliniae datas, quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses me meam pristinam dignitatem obtinere: Alteris dicebas, te velle, quae egissem bene & feliciter euenire.

Animi tui dotes adolescens carissime, velut in speculo tua representauit epistola: quae si tuo vnus Marte confecta fuit, sicuti fuisse nihil addubito, ausim tum mihi, tum seculo magnum quiddam de te polliceri.

Accipio excusationem tuam, cur ad nos raro hoc anno scripseris: Sed accipio ea ex parte, quatenus aut negligentiae, aut improbitate eorum, qui epistolas accipiunt, fieri scribis, ne ad nos perferantur.

D E E P I S T O L A R V M

Epistola tua, vir integerrime, diu inter litterarum fasciculos delituit, vt mensibus aliquot diu multumquē quæsitā, non quita sit inuenire: tandem vltro, non quæsitā, ad manus venit, & vt inquit Ouidius, non inuenta reperia est.

Quod te de litterarum intermissione excusas, facis tu quidem humaniter. Sed nihil mihi crede, opus fuit, vt te apud me eo nomine purgares, qui & quantis occupationibus distineare noui, neq; de tuo in me amore quidquam dubitauit.

Neq; negare audeo tibi homini eruditissimo, cuius ego plurimi semper amicitiam feci: neq; si pollicear, præstare possim, id quod à me petis: Premor enim domesticis oneribus, vt vix sustineam: Peto igitur abs te meis vt occupationibus ignoscas, & voluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames.

Quamquam me nomine negligentiae tibi suspectum esse doleo: tamen non tam molestum mihi fuit, accusari abs te officium meum, quam iucundum requiri, cum præsertim, in quo accusabar, culpa vacarem.

In quo autem desiderare te significabas meas litteras, præ te fers, perspectum mihi quidem: sed tamen dulcem & optatum amorem tuum.

Exordia cum respondemus ad Epistolam nobis gratam.

Multa me in epistola tua delectarunt: sed nihil magis quam quod.

Iam dies octauus agitur aut plus eo, cum optatissimas abs te accepi litteras.

Quod

Quò minùs exspectatæ venerunt tuæ litteræ, hoc mihi plus voluptatis attulerunt.

Accepi litteras tuas immo meros amores, quid.n. aliud sonant: quid aliud spirant?

Gratum erat tuum munusculum, gratior epistola tam amica, gratissimus animus.

Litteras tuas, mi Sigoni, dici non potest, quam acceperim cupidè, quibus ad me scribis, &c.

Litteræ tuæ, quo sunt frequentiores, atq; etiam longiores, eò mihi maiorem adferunt voluptatem.

Litteræ tuæ perbreues sunt, si quis versus numeret, sed eadem prolixæ, si quis humanitatem aestimet.

Quò magis præter spem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuæ litteræ, mihi non semel votis ardentissimis exoptatæ.

Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt, immo verò & peroptatæ & dulces, quæ mei apud te memoriam residere mihi indicarunt.

Valde sum affectus tuis litteris, doctissime & humanissime Steinhufi: valde priori pagina perturbatus, paullum altera recreatus.

Libentissime legi tuas litteras, integerime Moriloni: In quibus iucundissimum mihi fuit, quod cognoui meas tibi esse redditas.

Accipi litteras tuas & suaues profectò, & eruditas: quibus non aliter sum oblectatus, atq; olim tua consuetudine, cum essem Louanij.

Gratissima mihi tua fuit epistola, quæ testabatur veterem illum tuum in me animum: Mens verò cur mutata esset, nulla est causa.

Bis nos exhilaras, N. candidissime, dum vino suavissimo, litteras addis multò suauiores: Quare te duplici nomine tibi gratias agimus.

Gratæ

DE EPISTOLARVM

Gratæ mihi tuæ litteræ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam sine litteris arbitrabar, te summa cupiditate affectum esse videndi mei.

Reddita mihi tua est epistola, quæ vel hoc nomine fuit gratissima, quòd à Robortello venerit, homine longè gratissimo & amantissimo nostri.

Epistolam tuam accepi, quæ mihi tum ob recordationem veteris noticiæ fuit iucundissima, tum quod abs te, cuius ingenij dexteritati ex animo faueo.

Iucundissima mihi fuit tua epistola, mi N. & videris mihi non infeliciter operam in stylo excolendo posuisse, quæso te ne desuetudine si nas obsolescere.

Amice candidissime multò gratissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quibus etsi contractè rescribo, & seriùs quàm debeam, amo tamen effusissimè meum Sufium.

Epistola tua suaviter & amàter in primis, eademque elegantissimè conscripta, memoriam mihi nostræ consuetudinis, tuæq; virtutis & humanitatis vehementer auxit.

Accepi litteras tuas datas Florentiæ extremo mense Iunio, ad me Septembre ineunte perlatas, ex quibus cognoui, quod mihi fuit iucundissimum, te rectè valere.

Grata mihi est vehementer memoria nostri tua, quam significasti litteris, quam vt conserues non quod dubitem de tua cōstantia, sed quia mos est ita rogandi, rogo.

Epistola tua Præceptor humanissime, qua mecum de officio dilectionis exoptulas, mirum in modum

modum me delectauit: gaudeo profecto, mihi datum, quod aiunt, ansam crebrioribus, quam hactenus te litteris sollicitandi.

Quas ad me his proximis superioribus diebus litteras dedisti, mi Murete, incredibili me affecerunt voluptate: quod enim plerique solent ægrè ferre, id mihi planè iucundissimum fuit nempe ut me obiurgares.

Litteræ tuæ perbreues, sed amoris humanitatisque plenissimæ, hoc mihi etiam fuerunt iucundiores, quod manu tua scriptæ illud ipsum testimonium, de quo scribis, nostræ perpetuæ & constantis amicitiae grauius multò faciebant.

Reddita est mihi à te Epistola, quæ vel hoc nomine mihi fuit gratissima quòd tam amanter prolixèque mecum confabulari, tædium non fuerit. Salutauit quos voluisti, rescripturus per occasionem, ut vincere prolixitate possim.

Magna me voluptate affecerunt tuæ litteræ, ex quibus perspexi, vigere apud te, & memoriam amicitiae nostræ, & studium propensæ erga me voluntatis, quam ego semper habui charissimam ab eo usque tempore, quo, &c.

Gratum mihi est, quod me de ijs, in Gallijs publicè priuatumque geruntur, tam accuratè facis certiolem, quodque tua cura, & amicorum ad me, & meæ ad amicos litteræ perueniunt, cum simus tam vasto terrarum spacio disiuncti.

Non facile dixerim, plus ne voluptatis, an doloris ex epistola tua susceperim: est enim mihi gratissimum, cum & me à te amari, & te amore
in te

DE EPISTOLARVM

In te meo delectari perspicio : ex quo fit, vt
litteras tuas benevolentiae plenissimas & of-
ficii, iucundissime legam.

Redditae mihi sunt abs te litterae, gratissimae illae
quidem & optatae, vtpote amore illo tuo vere
fraterno plenissimae : sed tamen quae mihi
voluptatem illam, quam ex tuis litteris cape-
re soleo, magna ex parte imminutam attule-
runt : significabant enim te in quartanam in-
cidisse.

Iucundissimae mihi litterae tuae iucundissimae non
solum, immo etiam salutare. Quod enim te
saluum mihi & sospitem nunciarunt, per eas
quoque mihi incolumitas est restituta. De qua
re & tibi gratulor & mihi gaudeo, Deumque
supplex oro, vt te in optimo statu diutissime
valere iubeat.

Accepi litteras tuas, quas N. ad me attulit, e quo
cum percunctatus essem de te ea quae volebam,
atque is mihi omnia laeta respondisset, alacrio-
re animo conuersus sum ad lectionem litte-
rarum : in quibus recognoui animum tuum
pristinum erga me, & plenam benevolentiae
atque humanitatis voluntatem, qua mihi nihil
accidere solet optatius.

Iucundissimae mihi fuerunt tuae litterae, idque i-
psum sane multis de causis, Primum quod tuae,
hoc est, &c. Deinde quod mirificam quandam
tua erga me voluntatis significationem ha-
bebant : Addo etiam quod perbellè scriptae
spem mihi affirmarunt non dubiam, talem
te aliquando fore, qualem ego te, vel inge-
nio vel diligentia tua fretus, multis futurum
praedicassem.

Ex litteris tuis, quae me de tua apud Fanum man-
sionem

hione reliquisq; tuis rebus erudierunt, magnam cepi voluptatem, propterea quod & elegantes ipsæ sunt. neq; tantum Latine, sed etiam polite, atq; subtiliter scriptæ, & tuam erga me benevolentiam, quam ego semper feci plurimi, magno opere præ se ferunt. Itaq; nihil mihi potuit optatius accidere.

Maxima sum ex tuis litteris affectus voluptate, non eò solum, quod suauissimè atq; honorificè scriptæ, magnam tuæ erga me obseruantia significationem haberent, (quanquam id ipsum mihi, pro eo sanè ac debuit, fuit gratissimum) sed quod ea verborum puritate atq; elegantia essent bellissimè contextæ, vt meam de studiorum tuorum cursu, opinionem planè confirmarent, atq; haud scio, an etiam vincerent.

Gratissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, quæ & veteris nostræ amicitia memoriam mihi renouarunt & declararunt in te non parum adhuc amoris erga me ipsum residere: Quo mihi nil optatius atq; iucundius accidere potuit, tibiq; hoc de me esse persuasum volo, si quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio esse arbitraturum: Tu vt valeas, & me diligas magno opere abs te peto.

Ego nullius litteris æquè delector ac tuis, ex quibus multiplicem capio tum fructum, tum voluptatem: Primum siue mecum litigas, siue rides, siue laceassis, discedo doctior. Nihil .n. abs te proficiscitur adeò neglectum, quod aliorum quantalibet cura possit æquare. Deinde tuus iste sermonis torrens, meam expergeficit somnolentiam: tuus ardor meum frigus acuit: tua copia nusq; non exuberans ieiunam exilitatem meam emendat, atq; castigat.

Exor.

DE EPISTOLARVM

*Exordia cum quempiam accusamus de
litterarum raritate.*

Video te occupatissimum esse, qui ad quaternas
meas litteras non responderis.

Seculum mihi exisse videtur humaniss. N. quod
nihil abs te redditur.

Doleo tibi chartam deesse, si eius inopia ad me &
rarius scribas & breuius.

Miror te ad me nihil scribere, & potius ab alijs
quam à te de Rep. certiolem fieri.

Quod tam diu nihil ad me scribas mi N. non iras-
cor tibi: irascerer tamen, si fas esse crede-
rem.

Tua ad nos & rarius scribis, quam solebas, & bre-
uius: credo quia nihil habes, quod me putes
libenter legere.

Iam diu litteras abs te nullas accipio: Sed ego in
te voluntatem erga me summam & singula-
rem spectro, non epistolas.

Tu licet mutus sis, ego tamen non desinam fre-
quentibus tibi epistolis obstrepere, & te ama-
bo, si me, contemseris etiam.

Demiror te iam diu nihil scribere, neq; enim opi-
nor, te sic occupatum, vt non vacarit, neque
tam fortunæ successu elatum, vt veteres con-
gerrones fastidias.

Vide quid me cogitare velis: tanto in desiderio à
te litterarum, fac igitur quam primum scri-
bas, nisi quid me voles suspicari, atq; vtinam
fallantur suspensiones nostræ.

Exspectanti mihi abs te quotidie litterarum ali-
quid, seculum penè præterit, & multæ ad
te scribendi occasiones è manibus elapsæ,
dum

dum aliquid semper puto recepturum, cui responderem.

Puto te iam suppudere, cum hæc te tertia iam epistola antea oppressit, quam tu schedulam aut litterulam: Sed non vrgeo, longiores enim expectabo, vel abs te potius exigam.

Irascor, nec liquet mihi an debeam: sed grauius irascor, quod te, tam diu litteræ nullæ: Exorare me potes vno modo, si nunc saltem plurimas & longissimas miseris: hæc mihi sola excusatio vera, cæteræ falsæ videbuntur.

Et si magnam mihi putem fieri iniuriam, quod tot epistolis prouocatus nihil responderis: humanius tamen esse duxi peccare officio, quam silentio retaliare iniuriam: Audi igitur optime N. in quo statu res meæ sint.

Iam pridem nullas abs te accipio litteras: ego verò binas ad te dedi eodem exemplo, de quibus nihil addubito, quin alteræ saltem sint reditæ, quæ erant bene longæ, & multis de rebus, quas ipse, ni fallor, cupiebas cognoscere.

Nimis diu iam videor mihi à te litteras expectare, quod si nihil habes, quod ad me scribere necesse sit, saltè inter nos mutuam veteremque beneuolentiam taciti conseruemus: Sin offensus es proximis meis litteris, quæ tecum liberiores fuerunt, quæso te, concedas hoc naturæ ac libertati meæ.

Si Victorium meum non nossem, suspicarer me illi excidisse, quia non scribit. Nunc verò de tam cognito atque explorato amico, tantum metuo, ne quid aliter agat, quam velit, quia iam pridem de illo nihil audio: est enim amor mirè metuculosus:

G

culosus:

DE EPISTOLARVM

tulosus : Tu igitur scribe, quò mihi hunc timorem adimas.

Iam pridem nihil abs te accipio, quod non contingit sine magna mea sollicitudine, non quod exciderim tibi, minus enim est mihi abs te metuendum, sed ne incommodiore valetudine impediaris: tu si me amas, exime mihi hanc curam, seu anxietatem verius, si non crebris litteris, certè crebra salutatione, per eos, qui proficiscentes huc, te conuenerint: Potuisti enim intelligere, si modò satis rectè animi erga te mei affectum tibi declaravi, me non alia esse in te obseruantia, quàm in parentem: quoniam tu nò minùs me, quàm filium, amare mihi visus es.

Exordia cum nos excusamus de litterarum raritate.

De litterarum intermissione sine causa abs te accufor.

Nolim me putes obliuione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam.

Nec sæpe est, cui litteras demus, nec rem habemus vllam, quam scribere velimus.

Meas litteras, quod requiris, mi N. impediò inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas.

Ad te ideo rariùs scripsi, quòd non habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam, quid ad te scriberem.

Si quid haberem quod ad te scriberem, facerem id, & pluribus verbis, & sæpius, Nunc quæ sunt negotia vides.

S. P. Miraris amice, quod non scripserim, mirari desine: iam scribo, & si placet Laconicòs Laconico respondebis Vale.

Non

Non committam posthac, vt me accusare de epistolularum negligentia possis: tu modò videto in tanto otio, vt mihi par sis.

Quod nihil litterarum ad te dedi, non id quidem causa fuit, quòd scribendi argumento destituerer quo planè abundabam, sed quod, &c.

Nollem te existimare, aut negligentia fieri mea, aut obliuione nostræ veteris amicitia, vt raras ad te dem litteras, non enim ea causa fuit: sed quòd &c.

Scripsissem perlibenter Reuerendiss. Cardinali: sed nec otium erat, nec argumentum. Nec ignoro quib. ille negotijs distringatur: Quare tu, &c.

Quod ad te, mi Bamelrodi, iam diu nihil dederim litterarum, non tam meis, quàm tuis occupationibus multis & magnis adscribas velim.

Vereor ne litterarum à me officium requiras, quas tibi & iam pridem & sæpe misissem, nisi quotidie lætiora, quæ ad te scriberè, exspectarem.

Non ausus sum dare ad te ante hac quidquam litterarum, quod, cum res non esset vlla digna quæ scriberetur, inanem sermonem litterarum tibi iniucundum fore putauì.

Iam diu nihil litterarum ad te dedi, quòd cum nò haberem fermè quid scriberem (quæcunq; enim heic agerentur, ad te perscribi à tuis sciebam) nolui te inanibus litteris meis obtundere.

Tuum silentium tam diuturnum duobus nominibus mihi met excuso: vel quia non dantur per quos scribas, vel quia totus es in sacris voluminibus, nec potes à semel gustato melle diuelli.

Segniores me facit ad scribendum, non obliuio tui, sed quòd me deterreant epistolarum vestigia omnia te aduersum, spectantia, nulla re-

DE EPISTOLARVM

trorsum: Nunc neque quid agas, neque in quo mundo verferis, scio.

Quod raras adhuc mihi ad te litteras, scito rationem esse habitam à me occupationum tuarum: hac enim sola impediō verecundia, ne te sæpius interpellem: quamobrem tu nobis aliquam debes gratiam.

Non obliuione mutuæ beneuolentiæ nostræ, rariùs ad te do litteras, quàm forsitan vsus veteris nostræ coniunctiōnis postulet: sed pudorē quodam id fit potiùs, quod vereor, ne tuis grauioribus curis intempestiuùs obstrepam.

Quod pristinam meam scribendi consuetudinem intermissam miraris, nihil est quod suspiceris mali: neque enim, quod semper fui, tui amantissimus esse vel desii, vel esse desinam, dum memor ipse mei, dum Spiritus hos reget artus.

Peto à te Murete vir humanissime, ne me putes obliuione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam: sed aut grauitate valetudinis, qua tamē paululum videbar leuari, aut quòd absim ab vrbe, vt, qui ad te proficiscantur, scire non possim.

Cum longo locorum interuallo disiuncti simus, per litteras tecum quàm sæpissimè colloquar: quod si rarius fiet, quàm tu expectabis, id erit causæ, quòd non eius generis meæ sunt litteræ vt eas audeam cuius temerè committere.

Diu est, quòd destitimus inter nos missitare litteras: neque enim inueteratæ amicitiae tanta coniunctio talem operam vllam aut oblectamentum requirebat, nec fuere alia, de quibus esset

effet opus alterum nostrum ab altero certior
rem fieri.

Cum me vides præter institutum meum litteras ad
te non tam sæpe, quam solebam mittere, ni-
mirum etiam me tacente, quam sim occupa-
tus, intelligis. Ternas te dedisse scribis: omnes
accepi. Nihil amabilius, nihil etiam elegan-
tius.

Si fortè rariùs tibi à me, quam à cæteris litteræ
redduntur: peto à te, vt id non modò negli-
gentiæ, sed nec occupationi quidem tribuas:
quæ etsi summa est, tamen nulla esse tanta po-
test, vt interrumpat iter amoris nostri & offi-
cij mei.

Etsi pudet me post diuturnam cessationem nunc
ad te scribere, tamen non dubito, quin pro
tua in amore constantia, meæ, si qua fuit, ne-
gligentiæ, benignus interpret sis futurus, præ-
sertim cum nihil esset priuati, quod scribe-
rem. Publica verò omnia copiosè ab alijs ad
te perscribi non ignorarem.

Longum interuallum est, cum litteras, ad te dedi
nullas, quod accidit, non remissione obser-
uantia in te meæ, nec obliuione virtutis, hu-
manitatis & beneuolentiæ erga me tuæ: sed
quia multis & molestis occupationib. impe-
ditus, alia quoq; officia permulta deserere
coactus sum.

Diu est quod nihil ad te dedi litterarum, non obli-
uione amicitia nostræ, sed quòd, cum nihil
haberem quod scriberè tua lectione dignum,
nullas volui potius, quam inanes esse meas lit-
teras. Nunc verò, cum se mihi occasio & propè
dicam, necessitas quædam obtulit scribendi
ad te, libenter hac oportunitate vsus sum.

DE EPISTOLARVM

Multis iam mensibus nihil ad te litterarum dedi,
Nec mihi tamen venit in mentem subuereri,
ne quam tibi nostra indignam amicitia sus-
picionem silentij mei diurnitas attulerit.
Mihi quidem nihil scito esse iucundius epi-
stolis tuis: quas cum lego, delector mirifice
amore in me tuo: delector etiam ingenio, &
scribendi elegantia.

Ego ad te rarius solito do litteras, quod non dubi-
tem te & negotijs occupatum, & grauitate va-
letudinis defessum, minus libenter ad exerci-
tium hoc scribendi epistolas venire, sed nec
amicitia nostra fulcimentis illis indiget, qui-
bus vulgares permultæ: Rogo te etiam atque
etiam, vt posthac, quoties mihi scribes, quem-
admodum & corpore & animo sis affectus,
paucis verbis significes.

*Exordia quibus se quis purget de lon-
giore silentio.*

Quod tam longo temporis interuallo nihil ad te
dederim litterarum excusationem accipe, non
peccati, sed silentij. Pudet quidem me tam diu
nihil tibi scripsisse: sed profecto si scias quan-
tis hic distineor occupationibus, facile habes
as silentio meo veniam.

Epistolis tuis equidem sum ab te lacepsitus ad
scribendum: sed idcirco sum tardior, quod
non inueniam fidelem tabellarium.

Quod tanto interuallo nihil ad vos scripserim,
profecto intelligis rem mihi deesse, de qua
scribam, non voluntatem.

Quod tanto temporis interuallo, nihil ad te dede-
rim litterarum, nec veteris meæ ergo te obser-
uantia

uantia beneuolentiaꝝq; memoriam renouā-
rim non mea negligentia, neq; adeo obliuio-
ne mutui nostri amoris, sed potius pudore
quodam accidit.

Puto tibi molestum iam esse silentium meum: at
mihi silentij causa longè molestior: nam to-
to ferè biennio, neq; corpori valetudo, nec ani-
mo quies contigit: ita qui absentes amicos lite-
teris saltem colere consueui, iucundissimam
mihi consuetudinem intermittere, & in officij
cursu languere sum coactus, quòd si tibi fidem
mea nō facit affirmatio, testes habeo. &c. Hanc
excusationem probari à te cupio, nec omnino
despero.

Quòd epistolæ tuæ non responderim, mi N. non
voluntas in causa fuit, quæ est erga te, vt potu-
isti cognoscere, profectò summa: sed valetudo
aduersa mea, quæ peringentes dolores tum
corporis, tum animi vires valde afflixit. Neq;
nunc scriberem, nisi vererer, ne quid tu de im-
mutata mea erga te voluntate secus suspicare-
re, quàm res habet, & ego vellem. Cupio enim
vt intelligas me in ratione ista amicitia paria
tecum facere, & tantopere amantem non me-
diocriter redamare.

Iam diu est, cum ego ad te nihil litterarum dedi,
quod accidit non obliuione tua mea, neque pi-
gritia aut negligentia nostra, sed quòd ipse
meis occupationibus impeditus, dubitans de
tuis, veritus sum ne mea sedulitas forsitan tibi
molesta esset, si te à grauioribus & sanctioribus
curis, inanium lectione litterarum auocasset, &
si inanes epistolæ nunquam esse solent, quæ vt
aliud nihil afferant, testes tamen sunt amoris &
conseruatae optimæ voluntatis. Verùm hoc testis

DE EPISTOLARVM

monium neq; vt ego arbitror, tu à me desideras neq; ego abs te requiro : satis enim nostra verus cōstansq; amicitia testimoniū vtriq; nostrū præbet, esse nos inter nos, quales esse debemus, amicissimo animo videlicet & constantissima voluntate coniunctos.

Exordia cū seriū alicui respondemus.

Noli mirari, si tuis sanè iucundis mihi, & suauibus litteris, seriū respondi, quàm æquum fuit.

Occupationibus factum est meis, mi N. vt nihil hactenus binis tuis litteris responderim.

Non est quod succenseas nobis, si aliquanto tardiores fuerimus in scribendo : multa fuere impimento.

Distuli tuis respondere litteris, quod existimaui, fore, vt præsens præsentem amplecterer Louanij, vel Coloniae.

Scripturus eram ad te, nam ita decreueram, mi N. Verū interuenēre nescio quæ, quæ mihi hoc propositum excuterent.

Litteras tuas accepi: tabellarium, cui dederas, non vidi : si statim non responderim, omnem in illum culpam refundendam putato.

Tuis litteris mense Ianuario ex Vrbe datis, quòd adhuc non responderim, iusta hæc apud te erit excusatio, quòd minùs commodè valui.

Non licuit mihi id, quod vehementer optaui, aut celerius aut vberius ad te scribere: quod aduersa valetudine mensem amplius afflictatus, in hunc vsq; diem conualescere adhuc omninò non potui.

Mira

Miraberis, & quidem non iniuria, responsum à me litteris tuis multò seriùs, quàm tu fortasse desiderabas, & ipsæ litteræ tuæ meritò postulabant. Id cur ita euenerit, paucis accipe. Iturus erat istuc Rolandus noster, &c.

Epistolæ tuæ, quæ mirificam mihi attulit voluptatem, nondum respondi, occupatus nihil agendo, & ita assuefactus deficiæ, vt qui olim ad omnia solebam mihi otium facere, ipse nunc negotijs negotia opponem, ficta vtique, & opinione animi mei simulata, vt vera ac feria excludam.

Noli admirari, si & mea & tua expectatione seriùs hæc dedi ad tuas amicissimè atq; humanissimè scriptas litteras: morbo impeditus satisfacere officio non potui, quo tamen leuariam videor: Itaq; vt primùm facultatem nactus sum, non commisi, vt diutiùs desiderares à me hoc officium.

Vulgare est, vt, qui seriùs paulò ad amicorum litteras respondeant, nimias occupationes suas excusent ego verò quò minùs maturè rescripserim, non tam culpam confero in occupationes (quanquam ne ipsæ quidem defuerunt) quàm in acerbissimum potiùs hunc dolorem, quem mihi patruï mei obitus attulit.

Allatæ sunt mihi tuæ litteræ, aliquãto seriùs quàm dierum ratio postulabat: quibus in litteris facile & amorem tuum erga me, & memoriam veteris nostræ consuetudinis recognoui: Sed quo minùs ad eas tum celeriter responderim, publica hæc negotia, quæ nos hic anxios & sollicitos habent, aliquandiu retardarunt.

DE EPISTOLARVM

Accipio tuam de intermissione litterarum excusationem. sed ea demum lege, vt me tibi eodem nomine purgatum esse velis: neq; enim vlla negligentia mihi officio defuisse videor, qui quod scriberem nihil planè haberem, Tum verò vel te, vel à te aliquid, vnde mihi scribendi argumentum nasceretur, in dies singulos exspectarem.

Et si ratio officij mei postulabat, vt post tuum à nobis discessum crebras ad te litteras darè, quibus & de rebus publicis, & de priuato rerum statu fieres certior, nescio tamen quo pacto factum esse dicam, vt cùm dies nullus esset, quo non id facere cogitarem, omnes tamen re, vt ita dicam, infecta elaberentur. Cùm verò tandem me diuturni silentij suppuderet, constituissimèq; omnino in posterum eiusmodi negligentia maculam epistolarum frequentia delere, repente redditus est mihi à te fasciculus.

Exordia cum nos purgamus de litterarum breuitate.

Ad litteras tuas mihi lōgè gratissimas tribus verbis respondebo, velut occupatissimus.

Pluribus tecum verbis agere non licet, ita multis distrahor, vnum hoc, Hubertinus noster.

Copiosissimam ad te scribere epistolam gestiebat animus, ni & otium deesset, & propediem vos ipse visere decreuissem.

Tam multum est quod scribam, vt nec initium inueniam nec exitum, propter hanc dubitationem meam breuior hæc est epistola.

Vereor ne putidum sit, scribere ad te, quam sim
occuo.

occupatus: sed tamen ita distinebar, ut vix huic tantulae epistolae tempus habuerim, atque id ereptum est summis occupationibus.

Nihil unquam accidit mihi, mi D. Loeui, tuis litteris mellitius: ad quas si breuiter respondeo, facile tu quidem ignosces, si scias quantis studiorum laboribus pene confectus sim, à quibus simul atque dabitur otium, scribam epistolas alias super alias.

Expectanti mihi quotidie à te litteras N. noster subito denuntiavit, ut ad te scriberem, si quid vellem: Ego verò etsi quid scriberem non habebam, inanem autem sermonem litterarum tibi iniucundum esse audiebam, breuitatem secutus sum te magistro.

Nimum rarò nobis abs te litterae adferuntur, cum & multò tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quàm ego qui Athenas, & certius tibi sit me esse Romae, quàm mihi te Athenis: Itaque propter hanc dubitationem meam, breuior haec epistola est, quòd cum incertus essem, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus deuenire.

Scio me frequenter ad te scripsisse, doctissime atque humanissime Stanislæ, sed ita Laconicè, ut tibi videar non scripsisse, ita cogit studiorum moles, quibus obruor. Nam si rationem ineas, quid dandum sit pietatis officiis, quid somno, quid valetudini, quid scribendis recognoscendisq; libris, facile colliges, quantum supersit temporis, quod epistolis scribendis impertiri possim.

Quòd non perinde, ac debebam, tuis eruditissimis litteris responderim, velim existimes nulla id

DE EPISTOLARVM

la id mea negligentia factum esse, sed occupationibus his, quibus necessario distineor in maximo, vt scis, munere perfugendo: quo fit, vt frequenter, &c. eam ob rem ignosces & cunctationi, breuitati mearum litterarum, quando iisdem de causis, quibus in hanc deueni tarditatem, adhuc impediior, ne longior sim: Iam verò illud, quod abs te rogatus sum, faciam sedulo ac perlibenter.

Exordia cum nostram in amicum beneuolentiam contestamur.

Miram sanè rem, & tibi, vt opinor, auditu iucundissimam, non potui non ad te perscribere.

Nunquam futurum putassem, vt omnino mihi verba deessent, quibus tibi gratias agerem: sed nunc, vt video, desunt: nec facile reperio, vir humaniss. qua verborum forma tibi explicem, quantum tibi debere velim: quando tu vir isto auctoritate & præstantia tantū laboris mea causa adieris.

Deerat omnino quod scriberem, & inani te epistola interpellare nolebam: mihi tamen illud est grauissimum, vt existimes, nullis adhuc meis litteris meum in te animum atque amorem satis esse testatum: tantus enim est, vt de illo magis ex te ipso & suauitate ingenij, quàm ex oratione & infantia mea iudicare te velim.

Cùm neq; haberem, quod tua magnopere interesset à me scribi, & te scirem summis occupationibus assidue districtum, tamen faciendum mihi putauì, vt aliquid omnino ad te litterarum darem: Ad meum enim officium valde perti-

pertinet, de nobis optimè meritum intelligere, & quo te studio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conseruem, quod, vt spero, consequar litterarum dono: Nam, vt remunerari vnquam possim, sperare vix audeo.

Quoniam iam annum ferè à nobis abes, quidquid heic interim nouorum est ortum, putato & me tibi debere scribere, & te scire vehementer cupere: Audies igitur ex me noua quidem permulta, haud omnia læta tamen: Non ignoras rerum mortalium conditionem: Nihil tam beatum in humanis negotijs, quo non aliqua incommoditate temperetur. Patruus tuus, &c.

Exordia petendi quippiam ab amico.

Singularis tua humanitas mihi hanc fiduciam ministrat, vt, tametsi nihil promeritus audeam tamen tuum officium liberè requirere.

Cum & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me beneuolentiam expertus essem, non dubitavi à te petere, vt, &c.

Vide quæso quàm sit insigni impudentia tuus Nizolius, nunquam illi Riccius in mentem venit, nisi cum eget: Opus est mihi ad pauculos dies Aristotele de Præceptis Rhetorices.

Nisi certò cognoscam, tuam non solum erga me summam, verum etiam in omnes, tametsi alienos bonarum litterarum studiosos, non vulgarem beneuolentiam, vereror profecto, mi N. in alieno præsertim negotio, studiorum tuorum tranquillitatem temerè appellare; Verum cum
sciam,

DE EPISTOLARVM

Sciam, quàm non illibèter pro amicitia subinde renouanda, ab amicis tuis sollicitèris, audacter te paucula pro amiculo sollicitaturus accedè.

Exordia agendi alicui gratias.

Gratum erat tuum munusculum : gratior epistola tam amica : gratissimus animus.

Iam non ago tibi gratias : cui enim re vix referre possim, huic verbis non patiatur res satisfieri.

Immortales tibi ago gratias, agamq; dum viuam : Nam relaturum me affirmare non possum: tantis enim tuis officijs non videor mihi respondere posse, nisi fortè ita sensurus es, vt me referre gratiam putes, cum memoria tenebo.

Miraris, scio, quid sit, quòd cum doctissimam epistolam cum magnifico munere ad me dederis, nihil ad te scripserim, vt ex nostris saltem litteris cognosceres, quàm grato ob ea, quæ fecisti, essem in te animo. Sed tu quid miraris? defuerunt, si nescis, mihi verba, quibus tibi meritas agerem gratias, atq; hodie defunt. Præstat tibi animus, quod potest, gratam omnium tuorum in me beneficiorum memoriam, vultq; tibi debere quàm maximè.

Exordia cum amicum consolamur.

Optimi patris tui mortem, vt doleo vehementer, ita omninò felicem existimo, qui sic obierit, quando hac sorte nascimur omnes, nihilquè diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum.

De patris obitu consolarer te, vir ornatissime, nisi persuasum haberem ægritudinem istam, quam
in

in alijs lenit admitq; tempus ipsum, in te singulari tua prudentia esse sopitam.

Audio te morbo decubuisse: sed neq; morbi causam, neq; genus intelligio. Tu, si potes, de his ad me scribito, & fac vt sciam quid me facere velis. Nam si pecunia opus est, siue domesticorum ministerio, vtrumq; tibi præsto erit: Quin & ipse istuc aduolabo, si mea præsentia tibi utilis esse potest. Vale, ac, quantum potes, te ipsum cura.

Exordia cum quid amico nunciamus

Quo in statu hic omnes simus accipe.

Quid hic geratur, scire poteris ex eo qui litteras attulit.

Mitto librum, quem desiderabas: seriùs tamen quam & tu voluisti, & ego debebam. Ita m̄ N. distringor occupationibus, vt neq; inspirandi sit locus.

Coram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem, deterruit pudor quidam pene subrusticus, quæ nunc exponam absens audaciùs: epistola enim non erubescit.

Dedi Louanio discedens litteras M. N. N. communi amico, quas tibi redderet: quibus, litteris epistolæ tuæ paucis, vt tum ferebat tempus, & festinatio mea patiebatur, respondi.

Ornatissime vir, nihil erat hoc tempore magno- perè dignum, de quo celsitudinem tuam interpellarem: sed ad scribendum inuitauit oportunitas tabellarij, tum certi, tum huc mox reuersuri.

Exordium scripturi ad ignotum.

Quod

DE EPISTOLARVM

Quod ignotus ignotum meis litteris inexpectatis
interpellare sim ausus, vir optime, non tam
debes improbitatem accusare meam, quam
beneuolentiam.

Exordium ignoto responsuri.

Boni consulam audaciam tuam vir humanissime,
qui ignotus ad ignotum scripseris, si tu vicis-
sim boni consulueris, quod occupatissimus
tam parcè respondeo, vt pæne nihil respon-
deam.

LIBER IIII.

COMPLECTITVR ELEGAN-
TES ALIQVOT LATINAE LIN-
guæ phrasés scripturis epistolam
crebrò futuras vsui.

EPISTOLA, ET AD EAM *spectantes Fermula.*

EPISTOLA, & hinc Epistolium diminutium.
Litteræ, arum : hinc diminutium Litterulæ.
Epistolæ eodem argumento, &c.

Litteræ aliquot eodem exemplo, dicuntur, quæ de
eadem tractant materia. Barbari dicunt eo-
dem tenore.

Epistola elegans & multum humanitatis præ se fe-
rens.

Elucubrare epistolam, Scribere, conscribere, exa-
rare litteras.

Scinde

- Scindere, conscindere, concerpere, lacerare epistolam. (lam.
 Interijt, intercepta est epistola.
 Rescribere vel respondere litteris, vel ad litteras.
 Complicare litteras vel epistolam.
 Obfignare vel consignare epistolam, vulgò claudere.
 Obfignare litteras publico signo, Cicero.
 Resignare, vel recludere litteras, hoc est, aperire.
 Inscribere alicui epistolam, vulgò Scribere superscriptionem.
 Deferre, perferre ad aliquem litteras.
 Hanc epistolam velim reddendam cures, cui inscripta est.
 Fasciculum hunc Spieringo inscriptum, ad ipsum fac cures perferendum.
 Hunc litterarum fasciculum velim cures ad Poelghestium deferendum.
 Exemplum epistolæ, vulgò copia.
 Mittere alicui exemplum litterarum.
 Velim mihi huius epistolæ describi exemplum, vulgò, dari copiam.
 Dare alicui epistolam describendam.
 Tabellarius, Tabeilio, græcè Grammatophorus, qui litteras perfert.
 Litteræ elegantes, bellæ, faceræ, iucundæ, suaues, humanæ, gratæ, amabiles, expectatæ.
 Litteræ amicè, amanter, amantissimè, beneuolè, humanissimè, suauissimè, vel honorificentissimè scriptæ.
 Litteræ inanes, superuacaneæ.
 Epistola recens, epistola peruetus.
 Accepi abs te litteras, quæ mihi significabant, indicabant, &c.
 Redditæ sunt mihi abs te litteræ, quibus, vel ex quibus

H

quibus

DE EPISTOLARVM

quibus intellexi, perspexi, animaduerti, didici,
ci, cognoui, recognoui.

Quibus me facis certiozem, significas, declaras, ad
me scribis, erat scriptum, perscripsisti.

Quibus sum factus certior, Quibus lectis cognoui,
&c.

A me cum plus otij nactus ero vberiores litteras
expectato.

Tres vno die à te accepi litteras, vnam breuem,
duas vberiores.

Litteras tuas expecto valdè, vehementer, auidè,
maximè mirificè, suspenso animo, easq; mul-
tis de rebus.

Quamquam iam teipsum expecto, tamen isti pue-
ro da ponderosam aliquam epistolam.

Teipsum scilicet maximè, tamen etiam tuas litte-
ras antea expecto.

Fac vt sciam, Tu fac sciam, Fac planè sciam, Vt
sciam cura.

Fac me statim, celeriter certiozem.

Vt celeriter sciam, da operam.

Certior factus sum litteris, nuntijs, fama.

Cetera cognosces, audies ab vel ex alijs.

Nolo te ignorare, Hoc te scire volui.

Hoc quidquid est, Hoc qualecunque esset, te scire
volui.

Non te præterit, Non te fugit, Non ignoras.

Iam diu ignoro, incertus sum quid agas.

Memini, Memoria teneo.

Credo te memoria tenere, Meminisse te credo.

Lacessere, Prouocare aliquem scripto.

Dictavi hanc ad te epistolam, Scripsi hanc manu
librarij.

Occupationum mearum tibi signum sit manus li-
brarij.

Tu ad

Tu ad omnia rescribe quàm primùm.

Velim mihi ad omnia rescribas.

Velim sic statuas, tuas mihi litteras longissimas
quasq; gratissimas fore.

Breues litteræ tuæ, breues dico, immo nullæ, tri-
bus ne versiculis his temporibus Brutus ad
me? nihil scripsissem potius.

Epistola nobis iucunda & accepta.

Oblectavit me tua epistola.

Delectarunt me multùm tuæ litteræ.

Vehementer tuis litteris sum delectatus.

Litteræ tuæ incredibiliter me delectarunt.

Incredibile est, quantum me litteræ tuæ, delecta-
runt.

Incredibilem mihi læticiam attulerunt litteræ
tuæ.

Ex litteris tuis cepi fructum multiplicem.

Magnam ex epistola tua cepi voluptatem.

Ex tuis litteris cepi incredibilem voluptatem.

Maximam læticiam cepi ex tuis litteris.

Gratæ mihi fuerunt litteræ tuæ.

Gratissimæ mihi tuæ litteræ fuerunt.

Litteræ tuæ mirabiliter gratæ sunt.

Gratæ mihi vehementer tuæ litteræ fuerunt.

Epistola tua, litteræ tuæ fuerunt mihi gratissimæ.

Nihil mihi esse potuit tuis litteris gratius.

Caue putes vllas mihi litteras gratiores, quàm tu-
as.

Tuæ litteræ mihi gratæ iucundæq; sunt.

Periucundæ mihi fuerunt tuæ litteræ, quibus in-
tellexi.

O gratas tuas mihi iucundasq; litteras.

O litteras omni suauitate refertissimas.



DE EPISTOLARVM

O verè suaves, bellas & elegantes tuas litteras.
Nihil iucundius tuis litteris, nihil amabilius:
Libentissimè legi litteras tuas, in quibus. &c.
Litteræ tuæ, si quando aliàs, nunc me maximè oblectarunt.

Litteræ tuæ tantò fuerunt grauiores, quanto diutius desideratæ.

Summa me voluptate tuæ littera affecerunt, perfruderunt, extulerunt.

Litteræ tuæ summam voluptatem, læticiam, gaudium, iucunditatem attulerunt.

Rarò scribendi Formule.

Rarò ad me scribis.

Minùs sæpè ad me scribis.

Raras abs te accipio litteras.

Miror te ad me tam rarò scribere.

Crebriores abs te litteras postulo.

Crebriùs vellem ad me scriberes.

Abs te tam diu nihil accipio litterarum.

Infrequens es in officio scribendi.

Nimium rarò nobis abs te litteræ adferuntur.

Non satisfacis officio tuo crebritate litterarum.

Officium litterarum abs te requiro, in te desidero.

Es ad scribendum cunctantior, atq; etiam plane cessator.

R. Idcirco sum tardior, quòd non inueni fidelem tabellarium.

Ad te ideo rariùs scribo, quòd non habeam idoneum, cui litteras committam.

Plura habeo, quæ ad te velim scribere: sed ea sunt huiusmodi, vt non audeam committere litteris.

Formulæ

Formula ad varia respondendi.

Rescribo tibi subiratus.

Rescribam tibi ad ea, quæ quæris.

Ego, tuis proximis, nihil habeo quod rescribam.

Superiori epistolæ tuæ nihil est quod respondeam.

Perturbato animo, non potui, ut consueueram, rescribere.

Faciendum mihi putavi, ut litteris tuis ordine responderem.

Quod postremum fuit in epistola tua, quam à te proxime accepi, ad id primum respondebo.

Quod scribis te bellè valere, vehementer gaudeo.

Quod scribis te velle scire totius nostræ familiæ statum, en accipe.

*Formula admonendi aliquem, ut
sepius scribat.*

Velim quàm sepius mecum per litteras colloquere.

Crebris nos litteris appellato, quibus omni de re me erudias.

Si quid erit quod intersit me scire, perscribe ad me, sed diligenter.

Quid futurum existimes, ad me perscribas velim.

Crebris nos litteris appellato.

Absentiam nostram crebris litteris sarciamus.

Tu quæso crebrò ad me scribe, vel quod in buccam venerit.

Tu velim ad nos sæpe scribas: si rem nullam habebis, vel quod in buccam venerit, scribito.

Tu mihi, etiam si nihil erit quod scribas, tamen id ipsum scribas velim, dum modo ne his verbis.

H 3

Tu ve

DE EPISTOLARVM

Tu velim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissimè certiozem.

Tu etiam atq; etiam cura vt valeas, litterasquè ad me mittas, quotiescunq; habebis cui des.

Velim quàm sèpissimè mecum per litteras colloquere, etiamsi rem, de qua scribas, non habebis.

Velim diligentius omnia, quæ putaris me scire opus esse, perscribas.

Quoties habebis cui des ad me litteras, nolim prætermittas.

Fac sciam quid agas, quod sine sollicitudine summa nescire non possum.

Scribe ad me quid agas, & à nobis quid fieri, aut curari velis.

Facito nos statim quid constitueris, & quid agas, si tibi videbitur, certiores.

Cùm primùm de rebus Gallicis explorati aliquid habueris, facito nos statim certiores.

Cùm in primis tuas litteras desiderem, noli committere, vt excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate litterarum.

Formula petendi aliquid.

Peto, quæso, Peto oro, Peto contendo.

Rogo oro, Rogo obsecro, Oro obsecro.

Oro obtestor, Obtestor obsecro.

Hoc abs te peto, & summe contendo.

Illud à te magnoperè peto, contendoq;.

Illud vnum à te vehementer contendo.

Hoc abs te peto, & pluribus verbis rogo.

Sic à te peto, quasi in eo mihi sint omnia, vt, &c.

Singulari studio abs te cõtendo, vt nihil vnquam magis.

Vehe

Vehementer, valdè magnopere, etiam atq; etiam.
 Maiorem in modum, Singularem studio, Quàm poss
 sum studiofissimè.

Valde hoc ex animo à te contendo.

Hoc te vehementer etiam atq; etiam rogo, vt, &c.

A te etiam atque etiam maiorem in modum pe
 to.

Hoc à te, si pateris, gratia contendo, vt, &c.

Pro amicitia nostra, pro uestra coniunctione hoc
 à te peto.

Pro amicitiae nostrae fiducia peto à te.

Pro tuo perpetuo in me studio à te peto.

Peto à te amicitiae nostrae nomine, quam confido
 apud te plurimum posse.

A te magnopere pro nostra summa coniunctione,
 tuaq; singulari humanitate etiam atq; etiam
 peto & quaeso, vt &c.

A te hoc omni contentione peto, sic vt maiori cu
 ra petere non possim, vt, &c.

Cum me non fugiat, quanta sit autoritas tua, peto
 à te pro nostra consuetudine coniunctissima,
 vt, &c.

Cum & mihi conscius essem, quanti te facerem, &
 tuam erga me benevolentiam expertus essem,
 non dubitavi à te petere.

Te etiam atque etiam pro summa nostra coniun
 ctione, proq; tua in me perpetua & magna be
 neuolentia maiorem in modum peto atque
 contendo.

Peto vt cures, vt enitare, vt enitare, contendasq;
 Vt perficias, vt in hac re elabores, Vt hoc negoti
 um suspicias.

Vt dignitati meae suffrageris.

Vt rationem habere velis salutis & dignitatis
 meae.

DE EPISTOLARVM

Vt aliquid impertias temporis huic cogitationi ac studio.

Formula rogandi.

Rogo, oro, obsecro.

Rogo te, & etiam oro.

Illud te præcipuè rogo, & obtestor.

Pro amore nostro.

Amoris nostri causa.

Pro nostro amicitia.

Amicitiaë nostræ nomine.

Pro iure nostræ amicitiaë.

Pro nostra inueterata amicitia.

Pro nostra summa coniunctione.

pro nostra summa necessitudine.

Pro nostra coniunctissima necessitudine.

Pro vetere coniunctione & necessitudine.

Pro coniunctione & beneuolentia nostra.

Pro pari inter nos & mutua beneuolentia.

Pro summa mea in te beneuolentia.

Pro tua incredibili in me beneuolentia.

Pro tuo perpetuo in me studio, meoq; item in te singulari.

Impedior verecundia, ne verbis pluribus te rogem.

Per omnem amorem, quo me complecteris, rogo.

Te, tuosq; qui tibi consilio adsunt, oro atq; obsecro.

Ne me rogantem suppliciter à te reijcias. (oro.)

Noli pati meas esse irritas & inanes preces.

Sit apud te, rogo & obtestor, meis precibus locus.

Hoc à te ita postulo, peto, contendo, vt fortunas in eo meas positas putem.

Velim existimes, quod à te peto, id eiusmodi esse:

vt mea

vt meæ fortunæ omnes agantur, in eo confiant, locatæ, positæ, constitutæ sint.

Rogo te quàm studiosè possim, da mihi hoc, largire, sine me hoc à te impetrare.

Hoc in me confer gratiæ, hoc impertias gratiæ.

Maiorem in modum te rogo, mi Assendelphe, si quid istic exstiterit noui, cures vt quàm prius sciam.

Formula deferendi alicui suam operam, vel studium.

Studiosè diligenterq; curabo

Summo studio, diligentiaq; curabo.

Omni ope atq; opera enitar.

Omni mea cura atq; opera prouidebo.

Tuum negotium agam, sicut debeo, diligenter.

Mandatum tuum, mandata tua curabo, persequar. diligenter.

Si quid est, in quo tibi possim gratificari, nihil sum recusaturus.

Non sum defuturus officio meo, sicubi queam tibi esse commodo.

A me tibi, liberisq; tuis omnia paratissima esse confidas velim.

Quæ te velle arbitrabor, facturus sum omnia cum studiosè, tum libenter.

Si quid erit, in quo queam tibi gratum facere, facito periculum an ex animo te diligam.

Animum ad quiduis obsequij promptissimum polliceor, neq; in hac re solùm, sed in omnibus, in quibus desiderabis amici officium.

Polliceor tibi studium meum & operam, sine vlla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis.

H S

Illud

DE EPISTOLARVM

Illud caue dubites, Tu velim certo confidas, Tu velim ita tibi persuadeas, De me sic velim iudices, me tibi semper præsto futurum, me tibi nulla re vnquam defuturum.

Mihi tu, tui, omnia tua maximè curæ sunt, & dum viuam, erunt.

Tu si quid ad me fortè scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere.

De me sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, salutis tuæ, liberisq; tuis summo cum studio semper præsto futurum.

Singula persequi non est necesse: vniuersum studium meum, & beneuolentiam ad te defero.

Formula promittendi, superioribus non absimiles.

Promitto, Polliceor, Recipio.

Fidem do, Fidem meam tibi obligo.

Promissum facio, Omne meum studium tibi promitto.

Nequeo tibi polliceri, non possum tibi certum promittere.

Non ausim tibi id affirmare.

Vtrò, spontè, non rogatus pollicetur omnia.

Illius promissa huc me induxerunt, vt, &c.

Huc eius promissis adductus sum, vt, &c.

Huc me suis magnificis promissis impulit.

Magnificè quidem pollicetur: sed nihil, aut parum præstat.

Quidquid valeo, tibi valeo, Si quid valebo, valebo tibi.

Commodis tuis polliceor me nunquam defuturum.

Nulla

Nulla tibi in re benevolentia mea deerit, præsto non erit.

Ego meam operam tibi nunquam defuturam esse profiteor.

Quæ tibi intelligam accommodata, omnia studiose se persequar, diligenterq; præstabo.

Omnia à me postules & exspectes: vincam etiam meis officijs cogitationes tuas.

A me omnia in te studia atq; officia, quæ quidem ego præstare potero, velim exspectes.

Ego, quidquid in me est studij, consilij, laboris, ingenij, id omne ad hanc rem conficiendam polliceor ac defero.

Quæ mihi in mentem venient, quæ ad te pertinere arbitrabor, ea mea sponte faciam, Si quid ignorabo, de eo admonitus, omnium studia vincam.

Ego, quæ te velle, quæq; ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè diligenterq; curabo: quæ cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Hoc tibi confirmo, ac re præstabo, nullum in me studij genus aut officij, quod ad rem tuam pertineat, quod ad laudem tuam valere videatur, villo esse loco prætermisurum.

Formula seruandi promissa.

Seruare, Soluere, Exsoluere, Præstare promissa.

Satisfacere promissis, Stare promissis, Soluere,

Tueri fidem.

Nunc agè, fac vt promissa apparent.

Quæ tibi promisi, bona fide præstabo.

Ego, si quid tibi promisi, fidem non fallam, fidei non deero.

Quæ

DE EPISTOLARVM

Quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè serua-
bo, diligentissimèq; faciam.

Dabo operam, vt quod pollicitus sum, re præstem,
exsequar, efficiam, re confirmem.

Vt præstem fidem meam, soluam, tuear, seruem,
prohem.

Vt promissa seruem, obseruem, tuear, præstem, pro-
missis ne desim.

Hac epistola, veluti chirographo, me tibi obstric-
tum habe.

Has literas velim existimes fœderis habituras esse
se vim, non epistolæ, meq; ea, quæ tibi pro-
mitto ac recipio, sanctissimè esse obseruaturum,
diligentissimèq; facturum.

Ego quid possim nescio, Vel potiùs me parum
posse sentio. Illud tantum tibi polliceor, me,
quæcunq; salutis tuæ conducere arbitrabor,
tanto studio esse facturum, quanto semper tu
& studio, & officio in meis rebus fuisti.

Si quid ad me scripseris, ita faciam, vt te velle in-
tellexero: Sin autem tu minimè scripseris, e-
go tamen omnia, quæ tibi esse vtilia arbitra-
bor, summo studio, diligenterq; curabo.

Formula agendi gratias.

Agere gratias fit verbis.

Habere gratiam animo.

Referre gratiam & gratias, fit opere.

Quibus verbis tibi gratias agam, non reperio.

Singularibus verbis mihi gratias, egit

Immortales ago tibi gratias, agamq; dum viuam.

Ago tibi gratias immortales, singulares, mirifi-
cas, incredibiles.

Ago

Ago ingentes tibi gratias, quòd tuo consilio huc me induxeris.

Si pro vestris beneficijs in me immortalib. parum vobis cumulaté gratias egero, quæso obtestorq; ne meæ naturæ potius, quàm magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum putetis.

Pro opera tam diligenter nauata gratiam habeo, vt debeo, maximam.

Quod meum negotium tibi cordi fuerit, & res nostras tam officiosè curas, deamo te, & gratiam habeo, vt debeo, maximam.

Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum quoad viuam, maximam.

De istoc in me officio, amo te, & vt par est, maximè.

Istoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctum esse.

Hoc nomine plus tibi debeo, quàm vt vnquam soluendo esse queam.

Sed vt, vnde est orsa oratio, in eodem terminetur, maximas tibi gratias ago, maiores etiam habeo. Nam relaturum me affirmare non possum.

Cumulaté alicui referre gratiam.

Par pari referre, Parem referre gratiam.

Parem rependere vicem.

Mutuam referre gratiam.

Remunerabor te, & Remunerabor tua merita.

Remunerare beneficium.

Reddere beneficium, Remetiri beneficium.

Reponere merita, Respondere meritis.

Retribuere, Compensare beneficium, gratiam.

Probare se gratum, ac memorem paribus officijs.

Nullis

DE EPISTOLARVM

Nullis officijs tua beneficia remunerari possum.
Mihi ad remunerandum nihil suppetit, præter vo-
luntatem.

Non deest remunerandi beneficiorum voluntas,
sed facultas.

Plura in me contulisti beneficia, quàm vt pares ti-
bi gratias referre queam.

Tuis in me tot ac tantis officijs, ne quidem quid-
quam gratiæ rependi vnquam.

Vtinam aliquando gratiam referre possimus: ha-
bebimus quidem semper.

Tu vt intelligas homini amicissimo te præbuisse
officium, re tibi præstabo.

Quanquam tibi gratia referri tanta non potest,
quanta debetur: habenda tamen est, quan-
tam maximam animus noster potest capere.

Tantis tuis beneficijs non videor mihi responde-
re posse, nisi fortè ita sensurus es, vt me refer-
re gratiam putes, cum beneficia tua memoria
tenebo.

Verbulo duntaxat significa, quo genere officij
queam tibi gratum facere: nisi id summa cum
alacritate protinus aggrediar, nomen meum
inter ingratos scribito.

Ne leui quidem officio vnquam te demerui, & v-
tinam esset aliquid, in quo declarare possim
& animum agnoscentem tua beneficia, et vo-
luntatem reponendæ gratiæ cupidam.

Tuum admirabilem in me fauorem ac studium
multis iam argumentis habeo perspectum &
exploratum: quod si facultas esset par animo,
sentires te tantum beneficiorum haud qua-
quam penes ingratum collocasse.

Suspecta quædam res est, verbis beneficium repen-
dere:

dere : tu si mei in te animi periculum facere ve-
lis, aliquid vicissim oneris impone. Nullam
sarcinam tam grauem, tam molestam iniece-
ris, quæ mihi tua causa non leuissima, non et-
iam iucunda videatur.

Formula memoris beneficij.

Semper meminero, Memoria tenebo.

Tuebor mente atq; animo.

Nunquam obliuiscar, Nulla apud me delebit ob-
liuio beneficia, officia, merita erga me tua.

Tuorum meritorum erga me memoriam conser-
uabo.

Gratum me tibi, memorumq; præstabo.

Præstabo tibi eam, quam debeo, memoriam me-
ritorum tuorum.

Memorem me tibi, quæcunq; se occasio dederit,
obtulerit, probabo.

Gratum me nullo non loco, nullo non tempore,
memorem gratiæ referendæ, studiosumq; tui
senties, experieris, cognosces.

Enitar, & vt spero consequar, vt te de me optimè
esse meritum læteris.

Vt officia erga me tua voluptati atque lætitiæ tibi
sint.

Vt ex tuis in me officijs voluptatem capias, fru-
ctum feras, percipias, colligas.

Si quando dabitur opportunitas, declarabo me
non fictè tuis fauere commodis.

Pro litteris ad me transmissis gratiam habeo ma-
ximam. Si quod officium vicissim præstare
queam, impera : id tuo iure facies.

Formula gratum faciendi.



DE EPISTOLARVM

Id mihi vehementer gratum erit.

Id mihi pergratum, perq; iucundum erit.

Tam gratum mihi id erit, quàm quod gratissimum.

Id mihi sic gratum erit, vt gratius nihil esse possit.

Per mihi per inquam gratum feceris, si, &c.

Pergratum mihi feceris, si ei declares.

Feceris mihi gratissimum, si eum ita tractaris, vt, &c.

Hoc mihi nihil potest esse gratius.

Nihil est quod mihi gratius facere possis.

Fecisti amicè tu quidem, mihiquè gratissimum. quod &c.

Summa est, in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris.

Vehementer mihi gratum feceris, si quibuscunq; in rebus sine tua molestia poteris, ei commo-
daris: quod vt facias, te vehementer etiam
atq; etiam rogo.

Formulae diligenter commendandi.

Vehementer te rogo.

Peto à te maiorem in modum.

Ita Peto, vt maiore studio, magisue ex animo petere non possim, vt ei omnibus in rebus, quantum tua fides parietur, commodes.

Vt eum auctoritate tua, quæ plurimum valet, conseruatum. velis, & cures, vt intelligat, hanc meam commendationem maximo sibi apud te & adiumento, & ornamento fuisse.

Vvingardum tibi vnice maiorem in modum ita commendo, vt neminem diligentius.

Vt maiore cura, studio, sollicitudine animi magis
ex ani

ex animo commendare non possim.

Omnia tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si N. nostrum ita tractaris, ut sciat, ut sentiat, ut intelligat, & se à me, & me à te amari.

Ut intelligat nullam rem sibi maiori vsui atq; ornamamento, quàm meam commendationem esse potuisse.

Te, mi N. etiam atq; etiam rogo, ut omnia N. negotia mea putes esse, curesq; ut intelligat hanc commendationem maximo sibi vsui fuisse, hoc mihi gratius facere nihil potes.

Commendo tibi eum non vulgariter sed ita profusus, ut quos diligentissimè valdeq; ex animo soleo.

Pergratum mihi feceris, si intellexero has litteras, tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.

Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

A te peto, rogo cures, ut intelligat diligenter me scripsisse de sese.

Id tibi recipio, te eum quem soles fructum à bonorum virorum officijs exspectare, esse capturum.

Ipsam tibi in perpetuum deuinxeris, obligaueris. Virum bonum, tuæq; amicitia dignissimum tibi adiunxeris.

FORMVLAE ADHORTANDI,
monendi, suadendi.

Vos & hortor, & moneo.

Illud te esse admonitum volo.

I

Tibi

DE EPISTOLARVM

Tibi suadeo, atq; etiam rogo.

Tantum te & moneo, & rogo.

Scribo ad te, vt admoneam.

Illud te ad extremum oro & adhortor, vt, &c.

Magnopere te hortor pro tuo singulari, perpetuo
quē in Remp. studio.

Te moneo cum beneficijs tuis, tum amore incita-
tus meo, vt, &c.

Tibi imprimis suadeo, atque hoc meo etiam iure
præcipio, vt, &c.

Hoc tibi agendum censeo, si meo consilio parere
volueris, vt, &c.

Tibi verò cum meo in te amore, tum tua causa
impulsus suadeo, & si pateris, præcipio, &c.

Vide, Videto, Videbis, Etiam atq; etiam cogita,
Meditare atq; cogita.

Caue, cauendum est tibi, Para te.

Contende quæso, atq; elabora, vt, &c.

In hanc curam incumbe, vt, &c.

Tota mente incumbe in hanc, curam & cogitatio-
nem.

Dabis istud amori nostro, vt in eam opinionem
sententiamq; te adduci sinas, quæ cum tuis v-
tilitatibus est coniuncta.

Extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè
viuendum arbitror, vt te bonis semper, pro-
bis ac honestis adiungas socium.

FORMVLAE ENITENDI SVM-
mo studio.

Agam pro viribus. Pro mea virili, Pro mea parte
virili.

Incumbam toto pectore, Cunctis viribus, Omni-
bus neruis, Omni meo studio,

Quan

Quantum est in me, Quantum in me positum, In me situm.

Quoad possum, Quantum valeo.

Quantum præstare possum, Quantum, consequi viribus licebit.

Summè conabor. Contendam omni studio.

Enitar omnibus tum animi, tum corporis viribus.

Quidquid erit in me industriæ, operæ, diligentia.

Conferam ad hanc rem omnes vires, omnia studia.

Elaborabo pro viribus, Minimè parcam viribus.

Dabo operam, quantum in me erit, Pro eo quod in me erit.

Adnitar equidem summo conatu iuuare honesta studia.

Nullum studium, Nullam operam, aut industriam prætermittam.

FORMVLAE SCIENDI ALIQVID.

Scio, Certò vel certum scio.

Noui, Probè equidem noui.

Non me fugit, vel præterit.

Non dubito, Non dubium est mihi.

Non ignoro, Haud ignarus sum, Non sum ne-
scius.

Certo certius habeo, Liquidò mihi constat.

Exploratissimum mihi est.

Exploratum, vel compertum mihi est.

Fac planè vt sciam.

Cura vt sciam, si quid istic acciderit noui.



DE EPISTOLARVM
FORMVLAE SPERANDI.

Spero, spero fore.
Spes est fore, vel futurum.
Multa mihi affulget spes.
Certa spe ducor, teneor, erigor.
Adducor, Vocor, erigor, venio in spem.
In spem maximam tuis me litteris adduxisti.
Spem habeo summam, Spem capio, vel concipio
non exiguam, Spes me fefellit, frustrata est.
Exigua spes est, Spes omnis sublata est.
Video spem nostram extenuari, & elanguescere.

FORMVLAE PROPONENDI.

Proposui, Statui, Constitui, Decreui, Certo decre-
ui.
Decretum est, Deliberatum est, Constitutum est,
Constitutum habeo.
Illud mihi deliberatum est, & planè certum.
Stat, vel constat sententia, Sic est sententia.
Mea sic est ratio, Sic in animum induxi.

FORMVLAE EVNDI.

Ire, Abire, Proficisci aliquò.
Conferre, vel recipere se in Patriam.
Parare, Apparare, Adornare profectiorem.
Institui iter, Accingere se itineri & ad iter.
Italiam petere, Concedere in Hispaniam.

FORMVLAE INCERTI RVMORIS.

Rumores sunt fatis illi quidem constantes, sed sine
auctore.
Rumores heic spargi cepere, sed incerti, inanes,
quibus haberi fides non debet.
Qui neq; nuntijs, neq; litteris comprobentur.
Quos veritas nuda confirmet.

Quibus

Quibus omnibus deest fides.

Quia nulla veritate, nullo satis firmo testimonio,
Nullo prorsus argumento, vel ratione nitantur.

Si quid est certi rumoris apud vos, quaeso, ut nobis impertias.

Si quid istic certi exstiterit rumoris, cures, ut quam primùm sciam.

FORMVLAE OTIANDI.

Si dabitur otium, Si erit otium, Si quies erit.

Si quid otij nactus ero, litteras ad te dabo.

Nisi occupationes vrgebunt: Si per occupationes licebit.

Si curæ permittent. Si curarum expers ero.

Si vacuus ero, & liber à negotijs, Si mei iuris ero.

Si à negotijs vacabo, Si quid habebo vacui temporis.

Si quiescere licebit à curis, negotijs, occupationibus, molestijs.

Si meis rebus, quibus nunc teneor implicatus, me explicauero.

Cum dies à molestijs acciderit vacuus, respondebo ad omnia, quæ requiris.

FORM. CVRAE ET SOLICITUDINIS.

Hoc me sollicitat, sollicitum habet, facit, anxium reddit.

Hoc mihi curam, sollicitudinem, scrupulum attulit, ingessit, iniecit.

Distineor, distrahor, varijs curis, occupationibus.

Opprimor, Obruor, Oneror, Impedior, Inuoluor, Intricor.



DE EPISTOLARVM

Maqueor, Obuincior, Illigor varijs negotijs, occupationibus.

Multis negotiorum vndis obruor.

Tot occupationibus premor, vt vix somno tempus suppetat.

Ego ne Vlyffeos quidem labores cum nostris conferendos censuerim.

Nos laboribus sic dstringimur, vt existimem Herculi minus fuisse laboris cum hydra.

FORMVLAE EXPEDIENDI SECVRIS.

Vbi his curis solutus ero, laxatus ero, Me expediero.

Cum his negotiorum turbis me extricauero.

Cum me his negotiorum tumultibus exsoluero.

Cum ab his negotijs me vindicauero, absoluero.

Cum ex his malis enatauero, eluctatus fuero.

Cum his curarum fluctibus, his vndis, his molestijs emerfero.

FORMVLAE LITTERAS COMMITTENDI.

Eiusmodi sunt, eius generis, Eius momenti meae litterae, vt eas non audeam temere committere.

Non eius generis: Non eiusmodi sunt meae litterae, vt eas audeam temerè credere.

Epistolae nostrae tantum habent mysteriorum, vt eas ne librarijs quidem libenter committamus.

Epistolae nostrae eiusmodi fere sunt, vt eas nulli committere libeat, nisi de quo exploratum sit tibi eas redditurum.

Caue ne quid ad nos scribas periculosè: Nam litterae frequenter intercipiuntur.

Illud

Illud te moneo, ne quid vnquam litteris committas quod, si prolatum sit, moleste feramus :
Multa sunt, quæ ego nescire malo, quàm cum aliquo periculo fieri certior.

Eiusmodi fere sunt epistolæ nostræ, vt in alienum incidere nolim.

Nolim sermonem nostrum in alienas manus deuenire .

Nihil fere scribo, quod, si in alinas manus incidet, moleste ferendum sit.

FORMVLAE EXCVSANDI LITTERARUM breuitatem.

Oro, obsecro, ignosce, Non possum plura scribere.

Plura otiosus : hæc, cum essem in Senatu, exaravi.

Scribam ad te pluribus aliàs, cum plus otij nactus ero.

Hæc scripsi festinans, properante ad vos tabellario .

Subito, raptim, raptissime, ex tempore, plus quàm ex tempore.

Longior fuisset epistola, nisi eo ipso tempore petita esset, cum iam iretur ad te.

Cum plus otij nactus ero, vberiores à me litteras expectato.

Breuitate temporis tam pauca cogor scribere.

Breuiloquentem iam me tempus ipsum fecit.

Habes epistolam plenam festinationis & pulueris.

Plura scriberem, si iam putarem te libenter legere posse.

Breuitas tuarum litterarum me quoq; breuiorem in scribendo facit.



DE EPISTOLARVM

Sum breuior, quòd, vt spero, coràm quæ volumus,
breui conferre licebit.

Quid præterea scribam non habeo, & eram in scri-
bendo conturbatus.

Pluribus ad te scriberem, nì mihi dolor faculta-
tem mentis ademisset.

Cum mihi erit exploratum, te libenter esse risu-
rum, scribam ad te pluribus.

Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me res ipsa
loqueretur.

Scribentem me hæc nunc cæna, nunc alia multa
interpellant.

Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar
amicitiæ nostræ diffidere.

Vix tantulæ epistolæ tempus habui, atque id ere-
ptum è summis studiorum nostrorum occupa-
tionibus.

Præposteros habes tabellarios, cum à me disce-
dunt, flagitant litteras, cum ad me veniunt,
nullas adferunt.

Ignoscas breuitati mearum litterarum: nam cele-
riter vnà futuros nos arbitror.

FORMVLAE EXCVSANDI LIT- teras prolixiores.

Hæc fortè scripsi verbosius, & tibi molestus fui.
Superioribus litteris benevolentia magis adduc-
tus, quàm quòd res ipsa postulabat, fui lon-
gior.

Hæc ad te scripsi, fortasse pluribus verbis, quàm
necesse fuit: benevolentia magis adductus,
quàm quòd res ipsa postularet.

Hæc ad te scripsi paullo fusiùs, quàm par est, vt vi-
deres tuas quoque esse partes instituendi, &
monendi.

Habes

Habes epistolam verbosio rem fortassis, quàm velles : quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris.

Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quàm quòd arbitrarer te monitis & præceptis meis egere.

Hæc scripsi ad te pluribus verbis, quàm soleo: non otij abundantia, sed amoris erga te, quo me quadam epistola inuitaras. Velim mihi ignoscas, quòd tanta harum prolixitate te pene obtundam : otiabar iam enim, & tuas volebam elicere. Longior fui in his litteris, quàm aut vellem aut putavi me fore : Sed suauitate consuetudinis tuæ, & studio tecum colloquendi, euectus sum longius fortasse, quam debebam : breuius certè, quàm volebam.

Sed hæc satis multa, vel plura potiùs, quàm necesse fuit : facit autem non loquacitas mea, sed beneuolentia longiores epistolas.

Sed iam modum, vel finem potiùs scribendi faciam : modum enim epistolæ iam diu multumquè excessi. Valebis igitur.

Sed prouehor longius quàm volebam, & charta me deserit, vt vides, tecum suauissimè colloquentem, fac igitur valeas.

Sed iam vltra metas epistolam porrigo, dum tui amore mei ipsius oblitus rapior. Vale igitur, & nos, vt soles, dilige.

Sed de his quoq; satis. Extremum est, vt te orem, vt Verrepæum tui amantissimum & diligas absentem, & cum opus erit, tuo patrocinio protegas & tueare, Vale.

DE EPISTOLARVM
FORMVLAE EXCVSATIO-
nis non neceſſaria.

Non erat cur te excuſares.

Cauffam excuſandi nullam habuiſti.

Officium excuſandi ſine cauffa ſuſcepifti.

Minimè neceſſaria fuit excuſatio tua.

Superuacanea fuit apud me tua excuſatio.

Iuſta & idonea quidem vſus es excuſatione: ſed ea
nihil opus erat.

Tuam excuſationem non deſiderabam, require-
bam, exſpectabam.

FORMVLAE TRANSITIONVM.

Transitiones voco, cum oſtendimus breuiter, quid
dictum ſit, ac deinde paucis indicamus, quid
ſimus dicturi.

His vtimur in Epiftolis, dum vel ad plures reſpon-
demus, vel ex vno argumento fit in aliud
transitus, efficiuntq; ne, velut ſcopæ diſſolutæ,
epiſtolæ turpiter diffluant, vt dictum eſt ali-
bi.

Vt: Vni epiſtolæ reſpondi: venio ad alteram.

Habes ad ſuperiorem: nunc audi ad alteram.

Perſolui prioribus tuis litteris: nunc ad poſterior-
res.

Longiori epiſtolæ reſpondi, nunc breuiori quod
reſpondeam?

Haſtenus ad tuas litteras. Nunc de me paucis ac-
cipe.

Reſcripſi fere ad omnia: nunc noſtra accipe.

Habes fere de rebus omnibus: vnum illud ad-
dam

Sed

Sed hæc hæctenus : Addam etiam illud.
 Sed hæc priuatim : Nunc quæ publicè.
 Hæctenus iocati : Nunc seriò agamus.
 Hæc leuiora sunt : Quæ sequuntur grauiora.
 Sed tristia mittamus : Reuertamur ad lætiora.

FORMVLAE CONNECTENDI.

Extremum illud est vt te rogem, & obsecrem.
 Reliquum est, Accedit eodem, Huc accedit.
 Hæc eo pertinent, longa sunt, quæ restant.
 Nunc audi quod pluris est, quàm omnia.
 Sed ad propositum redeamus.
 Redeamus illuc, vnde diuertimus.
 Vt ad rem redeam.
 Redeo ad id, quod primò omiseram.
 Redeo ad id, quod initio scripsi.
 Quid præterea? nihil, nisi vt incolumis ad nos
 primo quoq; tempore reuertare.
 Sunt & particulae connectendi, Primùm, Deinde,
 Præterea, Posthac, Adhæc, His adde, Huc per-
 tinet, Quin etiam, Quid quod, Denique. Pos-
 tremò, Porro, Porro autem. Iam verò, Cete-
 rum, &c.
 Quarum vsus in Auctorum lectione diligenter ob-
 seruandus est.

FORMVLAE BREVITER
dicendi.

Quid plura? Quid pluribus? Ne pluribus.
 Quid multa? Quid multis? Ne multa vel multis.
 Quid multis moror?
 Ne te multis morer, teneam.

Quid



DE EPISTOLARVM

Quid verbis opus est?

Sed ne diutius detineam te, vale.

Vt in pauca multa conferam.

Vt paucis concludam.

Vt rem paucis complectar, perstringam, comprehendam.

Vt breuitate utar.

Laconica utar breuitate.

Cic. Quid quæris?

FORMVLAE EPISTOLAM LONGI-
giorem abrumpendi.

Sed iam plura quam volebam. Vale.

Sed plura, quam statueram. Redeo ergo ad, &c.

Plura otiosus: hæc subito & variè distractus.

Sed quid ago? labor longius: Longius progredior.

Sed ne longior, vale, & me, vt facis, ama.

Sed de his satis, metuoque ne tu nimium putes.

Sed hac super re nimis multa, præsertim ad te.

Sed hæc pluribus fortasse verbis, quam sit necesse.

Sed iam longior sum, quam me fore putavi. Vale.

Sed hæc satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit.

Sed de his satis superque. Iam ad te o & præsidium & dulce decus meum.

Sed quid ago? Epistolam institueram scribere, ea autem crescit in volumen.

FORMVLAE EPISTOLAM
concludendi.

Habes, quæ scire cupiebas. Vale.

Habes fere de rebus omnibus. Vale.

Hæc habebam quæ se scire vellem.

Hæc habui, quæ de his rebus ad te scriberem.

Habes

Habes, vt breuissimè potui, totum Reip. statum.
Hæc fere sunt, quæ in præsentî tibi nota esse volui.

Hæc fere ad eas litteras, quas accepi abs te proximè.

Epistolam ita concludam, Ita finem faciam, imponam.

Finem scribendi faciam si te primùm monuero, vt me diligas.

Epistolæ clausula hæc erit, vt beneuolentiam in me tuam perpetuò conserues.

Reliquum est, vt à te petam, vt me de rebus Italiae & Portugalliae quàm sæpissimè facias certiorum, quo nihil gratius exspectare à te possum.

Sed formularum huiusmodi modus iam esto:

Nam qui plures requirit, inueniet abunde multas,

cùm apud alios, tum in elegantioribus Latinæ

linguæ phrasibus Aldi Manutij iunioris: Quas quàm

diligenti studio sæpius euoluerit, non ma-

lè is operam suam col-


locarit.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded and obscured by paper texture and foxing.







Q 1194

X 2203102

sb.

m.c.





DE EPISTOLIS
LATINE CON-
SCRIBEN-

DIS,

86
3525

LIBRI IIII.

Collecti, digesti, ac in lucem editi, opera

Simonis Verrepsi.

Quid singuli libri complectantur.

- I. Continet de Epistolis conscribendis velut Isagogi-
con dulci breuitate non iniucundum.
- II. Agit de Epistolari elocutione, & Latinæ orationis
ornati.
- III. Continet Epistolam rectè exordiendi formulas, ex
doctorum epistolis selectas.
- IIII. Complectitur Latinæ linguæ phrasas Epistolis
scribendis crebrò futuras vsui.



Anno M. D. LXXIX.

